13. e. 16

1

DE
HVMANI CORPORIS
FORMATIONE,
DOMINI ÆGIDII COLVMNÆ
ROMANI,

Fũdatiſsimi Doctoris, Ord. Erem S P. Auguſtini
Archiep. Bituricen. S. R. E. Card. Ampliſs.

Opus ſanè Peregregium; Philoſophis, preſertim verò Medicis neceſſarium.

NOVA HAC IMPRESSIONE REPVRGATVM
ac multo magis illuſtratum.

PER R. P. M. F. ANGELVM VANCIVM
Ariminenſem, Auguſtinianum.

AD ILL. AC A. R. P. M. IACOBVM
DE ROBERTIS, CIVEM BONONIENSEM,
eiuſdem Ord. Aemil æ Prouinciæ Præſulem
digniſsimum.



ATENEO VENETO
VENEZIA

ARIMINI, Apud Io: Symbenium. M. DC. XXVI.
Superiorum permiſſu.

Bernard. Bened. Vic. Generalis.

Imprimatur
Fr. Hippolytus Maria de Ferraria
Ord. Prędicat. Lector Theolog.
Prouicarius Sancti Officij.



ADM. REV. P.
ROMANDIOLÆ PROVINCIÆ
MODERATORI, PROVINCIALI MERITISS.
In Sacra Theologia Magistro
IACOBO DE ROBERTIS
Ciui Bononiensi, Ord: Eremit. Sancti
Patris Augustini.

MAGISTER FR. ANG. VANCIVS ARIMINEN.
eiusdem Augustiniani Ordinis. S. P. D.



Vo potissimum litterario negocio, meum hoc tempore versetur otium, quid meæ spectauerit industriæ, non omnino contemnendum; testem in præsentia producere possum inter multas, iamq; paratas lucubrationes, præsertim insignem hunc libellum: De eximia totius humani corporis fabricæ, olim quidem ab Aegidio nostro Doctore fundatissimo conscriptæ, recens à me refectæ, suæq; primeuæ restitutæ integritati; cum tot annorum curriculis, in tenebris veluti reclusæ, erroribus refertæ plurimis, lectorem quemque à se auertere videri posset. Quibus diligenti indagine remotis, clarissimum nunc de se exhibet prospectum, vt in ea affabrè excolenda, eadem curæ, quæ in producendo, nimirum secura, facile conspiciatur: quæ itidem in reformatione diligenti studio recudenda, quid à me præstitum sit, doctissimorum virorum, qui & Philosophicæ, ac Medicinæ præstantissimo studio, egregiam nauant operam, probabit prudens iudicium. Quibus porrò rem gratis-

simam me feciſſe, ſiue Auctorem in omni diſciplinarum genere ſpectemus; ſiue argumentũ ipſum, minimè leue conſiderarint, ipſe pro comperto habeo; cum hic naturæ admirabilis arcana ſenſa, & interiora humanæ generationis myſteria reſerantur. Quæ omnia ſcitu prorſus digniſſima, cui potius quã tibi A.R.P. huiuſce noſtræ Nobiliſſimæ Prouinciæ Priori Prouinciali meritiſſimo, deſtinarem? cũ enim difficili ſanè in loco eorum verſetur induſtria, qui aliquo in doctrinarũ genere, ſuas lucubrationes in publicũ emittere ſtudent; & ſint quandoque Iudices paulo in aliorũ ſcripta duriores: non ineptè profectò ſit ab his, patronum ſi aliquem ſibi deligant præſtantiſſimũ; cuius proinde patrocinio, cũ ſtudijs ſuis præclarè agi poſtea facile intelligunt: præſertim verò cum non ad vulgarem, humilemq; artem, ſed ad nobilem, doctrinamq; multis excellentiorem, ſuam, in litteris operam conferunt. Hinc nulli ſanè ingeniorum partus conſpiciuntur typis traditi, qui non ſint, & nomine inſcripti, & muniti fauore, aut virorum nobilium, aut Principum, quos vt præcipuos Mecenates, ſibi colendos propoſuerint, ac ſibimetipſis ad omnem vitæ cultum, & fructum, præſidij aliquid aſſequantur. Id ego iampridem (optime Pater) vehementer optabam, vt tibi externa aliqua grati animi ſignificatione, eam, eiuſdem animi mei obſeruantiã, qua te ſemper tamquam virum optimum, morum elegantia præditum, bonis litteris imbutum, ſum proſequutus, patefacerem; quod nunc temporis ex animi voto contigiſſe, ſumopere mihi gratulor, vt inſignis doctrinę refertum opus, multo labore à me expolitum, De humani corporis formatione, fundatiſſimi Aegidij, tuo patiſſimũ nomini, iure optimo inſcriberẽ. Ancipiti cura ſuperioribus diebus diſtrahebar, qui labente tẽpore, neq; gratiam tibi vllam referre, neq; profectò nuda voluntate contentus eſſe poſſem, animum meum tibi aliquo pacto probandi; quem ſemper vnicè dilexerim, & mihi tùm dignitatis tuæ, tùm modeſtiæ meæ rationem habendam, ſatis intelligebam. Tua me ſumma hoc tempore excitauit benignitas, vt ſuſcepti laboris haud certè peniteret; ac me-

rito

rito nunc opus hoc Aegidianū ei dicaretur, cui iampridem dicatus est animus. Qui certè de te vera narrando excureret, nisi mihi verendum, nolle te, quæ omnibus patent tuarum exemplæ virtutum recenseri: Quot pios pro Aemiliæ Prouinciæ tutela susceptos labores, haud grauatè tulisti: summam vitæ innocentis integritatem, prudentiæ singularis in arduis tractandis negocijs dexteritatem non comemorabo; in litterarum studiosos merita, morum probitatem, comitatem, in Deum deuotionem, ardentem erga Bononienses confratres charitatem, qua huius nobilissimi Sancti Iacobi cœnobij fretus, eiusdemq; regiminis adveras religiosorū metas, semper comoda omnia prosequeris, quis veri æstimator non facilè confirmabit? Si modo vitam inculpatā, si fidei pietatem, Religionis ardorem, dignitatis amplitudinem, reliqua virtutum ornamenta, si describere animus esset, latissimus se se offerret laudum tuarum cāpus. offenderim tamen eximiā hanc animi tui modestiam vereor, harum rerum cōmemoratione. finē faciam, humanitatem tuam enixè deprecatus, & munus quod tibi iure exhibetur, & offerētis animum tibi deinctissimum respicere ne graueris, dum per te, viris doctissimis pulcherrima hac humani corporis Aegidiana fabrica uti, & frui licebit. me apud D.O.M. pro tui incolumitate præcatorem habebis perpetuum. Arimini die octaua Nouembris 1625.

CANDI-

CANDIDO LECTORI
MAGISTER ANGELVS.

NORVNT omnes, potissimum viri doctrina præstantes, quemnam adeò immensum attulerit Romanus Columna Aegidius Augustinianus, Philosophiæ cùm Naturali, tùm Morali Aristotelis splendorem; sacramq; suis fundatissimis scriptis, amplificauerit Theologiam. Non hoc loco ipsius laudamus generis nobilitatem, amplissimo Columnarum genere ortum; id enim esset parentes, auosq; laudare. non dinitiarum copias, fortunæ quæ est benignitas. Non modo dignitatum excellentia describenda, dum Magistri Generalis in tota Eremitanorum familia offitio dignissime functus, ad Archiepiscopatum Bituricensem assumptus, deinde inter Ecclesiæ Catholicæ primarios Senatores, Cardinalis merito dessignatus fuerit: eius porrò singularem, atq; in omni genere excellentem sapientiam, iure cuncti mirantur; quæ nec à casu, & fortuna pendet, nec temporum vicissitudini subijcitur. In rerum pulcherrimarum indagatione, litterarumq; omnium meditatione, plurimum deditus noster Aegidius assiduò, quantum animo conniti, quantum larga opera consequi poterat, nequaquam monumenta quàm plurima litterarum intermisit; quibus post se relictis, in omni doctrinarum genere, viri docti fruerentur, ac recrearentur; Aegidium, Poetam, Oratorem, Historicum, vtriusque iuris Doctorem, Philosophum, Theologum, experimento comprobantes, in præsentiarum Medicum, siue etiá Anathomicum habebunt. Cum enim homo constet ex animo, & corpore; & illo quidem immortali, ac diuinæ naturæ ferè persimili: hoc autem caduco, & communi cum belluis: cum illius imperio, huius seruitio vtamur: ille intelligentia præditus, corpori moderetur; ille à Deo deforis veniat, vt Philosophus loquitur, hoc de nouo in vtero matris mirè formetur; isto in prospectu clariori quam hactenus posito libello, tenebrarum antiquitate, illius structura impressionis prauitate, mirum in modum disturbata, multis quoque vicijs iampridem deformata pulchritudine, non sine diligenti cura mendis exclusis, corporis inquam humani fabrica propemodum mirabilis, sana, integraq; facilè nunc conspicitur. quo in scriptionis genere, magna cum doctrinæ laude, multi quidem excellentissimi Medici versati sunt; ex quibus quæ ad hanc rem spectare videntur, certa præcepta petere, ac depromere solent; præsertim verò ex nobilissima totius humani corporis procreatione, ab Excellentissimo Fernelio, libro septimo conscripta. studiosè nihilominus erit quoq; legendus Aegidius noster, doctrinæ præstantia nulli secundus; cuius tanti Doctoris existimatio, plurimi est profectò facienda; Augustinianis præsertim, dum illius doctrinam præ cæteris profitentur, optimis sanè rationibus fundatam.

NOBI-

NOBILI

Et Egregio viro, Domino Gaſpari q. Mathematicorum Principis Domini Ioannis de Iaſone, patritio Ferrarien: Minimus Sacræ Theologiæ Doctor, Frater Auguſtinus Montefalconius, Eremita Auguſtinianus. S. P. D.

INTER cæteras ſollicitudines meas, vir egregie, quibus in dies crucior, illam duxi fore præcipuam, vt ſtudioſis quibuſcunque (quantum à me fieri poteſt) prodeſſe quęram. Hinc eſt, quod à pluribus annis citra, peritiſſimorum quorundam ſcripta corrigere, atq; in lucem dare obnixè ſtudui. Ex his maxime, Aegidij Romani columnæ, qui acumine ingenij profunditate doctrinæ, ac copia dicendi (pace omniũ dixerim) cęteris antecellit. Mitto itaq; modo librum, cui eſt titulus, De Humani Corporis formatione, quem & ſi quiſpiã fortè à profeſſione religioſi alienũ eſſe calumniabitur, ex hoc tamen intelliget, Egidium Romanum Columnam, nullum ſcientiarum genus latuiſſe; atque etiam non ſolum à Religioſo Viro alienum nullo pacto eſſe debere, ſed quam maximè neceſſarium; cum ad phiſicas diſciplinas, & ad eorum plurima, quæ in tertio ſententiarum traduntur, quæ profeſſionis ſunt Theologicæ, non mediocriter ſuffragetur. His tamen omiſſis, nihil timeat neceſſe eſt, cum & columnenſis ſit, & Gaſparis egide tectus in medium prodat. Nullus enim prior, aut dignior occurrit, ob ingenij eruditionem, integritatem, ac ſingularem erga me beneficentiã, cui hos meos, & Aegidij labores dicarem. Hoc quoque pacto te moueri poſſe exiſtimaui, vt monimenta tua, ac mathematicorum principis patris tui, iam emittere incipias; quæ talia ſunt, vt vniuerſum penè orbem, iamdudum in admiratione duxerint. Aegidium ergo ſub tuo nomine nunc primum excuſſum excipies, munus ſanè exile eſt, gratitudinis tamen, ac beneuolentiæ erit inditium. Vale. Venetijs Nonis Nouembris M. D. XXII.

MA-

MAGISTER FR. HIERONYMVS
De Ghettis Romanus Ord Erem S. Augustini,
Prior Generalis Ind. Reu. Patri Magistro
Fratri Angelo Vancio Ariminensi
Eiusdem Ord. S.

CVM à doctis viris acceperimus, te summa diligentia, & eruditione opus Illustriss. D. AEgidij Columnæ Romani doctoris nostri Fundamẽtarij inscriptum. De formatione corporis humani, emendaße; obidq; studiosis fidelibus perutile iudicetur: tenore præsentium, & nostri muneris auctoritate, vt typis cõmittere posßis, seruatis seruandis, concedimus. In nomine Patris, & Filij, et Spiritus Sancti. Amen.
Dat. Romæ die 17. Decemb. 1625.

Nostri Officij affixo Sigillo.

Fr. Hieron. Romanus Gen. Ind.

Reg. lib. secundo.

LOCVS ✻ SIGILLI.

CAPVT I.

In quo ponuntur rationes Medicorum, quod in ſpermate fœminæ eſt virtus actiua ad formationem fœtus.

QVIA ex cognitione principiorum in qualibet ſcientia, iuxta Philoſophi ſentẽtiam in philoſophicis, ſumitur cognitio omnium aliorum; quia tunc opinamur cognoſcere vnumquodque, cum cognoſcimus cauſas eius primas; & prima principia vſque ad elementa, oportet circa principia, & circa elementa formandi corporis primò inſiſtere, vt ſcire poſſimus veritatem quæſiti. *Te. c. 1.*

Videntur autem in primordio formandi fœtus, tria cõcurrere, videlicèt, ſperma fœminę, maris, & menſtruum: & vt dequolibet iſtorum conſiderationem debitam, & ſufficientem ad propoſitum habere poſsimus; eſt primum caput de ſpermate fœminę. Vtrũ in ipſo ſit virtus actiua, ſicut aſſeruiſſe dicitur Galenus. Narrat aũt Auicẽna in nono ſuo de Animalib. Galenũ poſuiſſe in ſpermate fęminę, virtutẽ formatiuã, vel potius ſubformatiuã eſſe: Nam eam poſuit debilem, iuuandam per virtutem virilis ſeminis. Poſſumus aũt ad pſens, ſeptem rationes adducere, sũptas ex verbis Galeni, vt imponitur Galeno, & vt eſſe ſententiam Galeni, ſatis Auicenna innuit in nono libro de animalibus, quòd virtus informatiua, licèt debilis, ſit in ſpermate fœminæ. Prima quidem ratio ſumitur ex parte matricis fœminæ. Secunda ex parte organorum, quæ habet fœmina. Tertia ex parte eius, quod efficitur in matrice fęminæ. Quarta ex parte morbi, qui multoties accidit matrici fœminæ. Quinta ex parte ſomniorum, quæ accidũt fœminæ. Sexta ex parte vaſorum ſpermatis, quæ reperiũtur in fœmina. Septima ex parte ſimilitudinis, ſiue fœtus,

cuius causa videtur esse multoties fœmina. Prima via sic patet, dixit enim Galenus, vt idé Auicenna recitat, quod sperma non exit à matrice; sed magis attrahit, & retinet ipsũ: & quia nullius appetitus est ad id, quod intendit reijcere, vt idem Galenus asseruit; si ergo, vt ait, appetitus matricis est ad sperma; non reijciet ipsum; sic ergo ratione appetitus naturalis matricis, declaratur verum esse de huiusmodi retentione, secundum quod dictum est.

Declaratur etiam exemplo, quia, vt dicitur, de muliere quadam; quę cum impregnari nollet, dedit magnos saltus, vt eijceret sperma à sua matrice; quæ tamen sic saliens, non potuit ipsum eijcere: In quo probatur experimento, quod matrix, non solum est auida ad receptionem spermatis; sed etiam, si sit bene complexionata, est valde fortis ad recipiendum: & quia etiam sperma proprium attrahit, & retinet matrix; & non faciat hoc pro nihilo; deseruiet tale sperma ad generationem non materialiter tantum; quia hoc facit menstruum; ergo deseruit actiuæ, & est ibi virtus actiua. Ex hoc sic potest argui: in matrice est aliqua virtus actiua, ex quo sic est fortis ad recipiendum; caderet enim sperma sui ponderositate, nisi esset virtus actiua matricis ipsum attrahens: quare si in ipsa matrice fœminæ est virtus actiua, multo magis, & in spermate eius, quia illud est (vt videtur) quod magis ad decoctionem venit in fœmina. Secunda ratio ad hoc idem sumitur ex parte organorum fœminę: nam nihil debet esse frustra in natura, cum ergo fœmina testes habeat, frustra eos haberet, nisi ad generationem facerent; cum ergo testes faciant ad generationem actiuę, erit etiã in spermate fœminę virtus actiua.

Virtus actiua in fœmina.

Tertia via sumitur ex parte eius, quod generatur in matrice fœminæ; vel in vasis spermatis eius: nõ inuentũ est. n. quod in huiusmodi vasis generatur humiditas alba viscosa, quæ humiditas spermatica similis est spermati maris, vt idem Auicenna in de animalibus ait: Sed cum sperma maris sit actiuum, postquam sperma fęminæ similitudinẽ eius imitatur; concluditur saltem, quod huiusmodi sperma fœminę sit quid sub actiuũ, & quod habeat aliquam actiuam virtutem.

Quarta ratio sumitur ex parte infirmitatis, quæ aliquã-

do accidit matrici fœminæ: vnde dicit Galenus, vt idem recitat Auicenna, quod vidit mulierem patientem suffocationem matricis propter abstinentiam à viro; cum euacuaretur matrix, delectabatur mulier, quasi delectatione viri; & sanata est matrix ex huiusmodi euacuatione; ergo suffocatio matricis non erit nisi quoddam inspissatum sperma: sed talis inspissatio non poterit prouenire, nisi ex aliqua virtute actiua; ergo, &c.

Quinta ratio sumitur ex parte somniorum, quæ accidũt fœminæ; nam, vt Auicenna recitat, fœmina somniat, & eijcit sperma: Ex quo volunt habere Medici, & Dux eorum Galenus, quòd in spermate fœminæ sit virtus actiua: Nam cum sic somniare, & eijcere sperma cõpetat maribus; quia in hoc fœminæ imitantur mares; oportet quòd sperma earum imitetur sperma maris: est itaque etiam aliqualiter virtus actiua, sicut & in spetmate maris licèt non tanta.

Sexta ratio sumitur ex parte vasorum spermatis, quę reperiuntur in fœmina; recitat autem Auicenna dictum Aristotelis dicentis, quòd si venæ, & arteriæ, quæ sunt in vase spermatis, essent in omnibus membris, fieret generatio spermatis in omnibus membris: Arguunt ergo ex hoc Medici, & iste Galenus, quòd cum talis euolutio venarum sit in vasis spermatis mulierum, generabitur in muliere verum sperma: sed non esset ibi verum sperma, nisi esset ibi virtus actiua; ergo, &c.

Septima autem ratio sumitur ex similitudine fętus, quæ multoties causatur à muliere; & in hac ratione, vt Auicẽna recitat, multùm gloriabatur. Galenus volens ex hoc arguere, vt sibi videbatur, quòd non esset possibile respondere, quòd aliqua virtus actiua non esset in spermate mulieris, sicut & patris; dicebat enim quòd filius aliquando assimilatur patri, aliquando matri; conueniens est, quõd assimilatio filij possit esse ex patre, & matre; ergo oportet dare causam comunem in vtroque: Cum ergo ibi non sint, nisi tria; menstruum, quod secundum omnes est materia fœtus; & sperma viri, quod secundum omnes se habet, vt agens, & sperma mulieris: Quæremus ergo de huius spermate, vtrum sit agens; quod si concedatur, habetur intentum: Si autem dicatur esse non agens; quæremus, quæ sit

Similitudo in filijs

cauſa, quod filius aliquando aſsimilatur patri, aliquando matri: Si autem dicatur huius cauſam eſſe menſtruum, conueniens eſt, quòd nunquam aſsimiletur patri; quia nõ habet menſtruum: ſi autem ſit huiuſmodi cauſa ſperma agens, conueniens eſt quòd nunquam aſsimiletur matri; cum poſitum ſit fęminam non habere ſe, vt agens: vt ergo poſsimus ſaluare comunem ſimilitudinẽ filij ad patrẽ, vel matrẽ, oportet ponere in vtroq; eſſe ſperma agens: Et cum vincit ſperma viri, aſsimilatur patri: & cum fęminæ, matri: Et quia iſta ratio Galeni videtur ſtatim repugnantiam habere; quia ſi ex victoria ſpermatis, ſit, quòd filius aſsimiletur patri, vel matri; conueniens eſt, quòd ſemper aſsimiletur patri, cum eius ſperma ſit fortius: Cui obiectioni reſpondens Gallenus ait, quòd ſperma mulierum ſubſtentat, & cibat ſe ſanguine menſtruo; ita quòd continuè vigoratur, & inualeſcit in tantum, vt poſsit habere aliquam victoriam ſuper ſperma viri, & per hoc aſsimilare ſibi fœtum. Addit etiam quod ſperma fęminæ ſupponens ſe ſpermati maris, vigoratur mulier, ſicut vigoratũ ſubactiuũ ex fortiori actiuo; Et ex hac vigoratione, quamuis in ſe conſideratũ non ſit tantę fortitudinis, ſicut ſperma viri; poteſt tamen ſic ſibi aſsimilare fœtum.

CAPVT II.

Quòd in ſpermate fœminę non ſit virtus ad productionem fœtus, vt poſuit Galenus.

PHiloſophus in xv. libro de Animalibus pertractans hanc materiam, vtrum in fœmina ſit virtus actiua ad productionem fętus, Dicit quòd in rebus habentibus virtutes diſtinctas, & corpora diſtincta, & naturas diuerſas, neceſſariò diuerſificatur virtus operantis, & patientis: & ſubdit, quòd ſi vir in generatione eſt ſicut mouens, & operans; & fœmina ſicut patiens; manifeſtum eſt, quòd ſperma fęminæ, non conuenit ſpermati viri in generatione; ſed ſi conuenit, hoc eſt ſicut

eut materia; dictum ergo Galeni discordat à veritate, & à philosopho: Sed nec mirum, quia Auicenna in libro nono de Animalibus pertractans hanc materiam, quomodo ausus est Galenus contradicere philosopho, dicit de ipso Galeno, quòd sicut Medicus, licèt multùm sciuerit de ramis; ignorans tamen fuit radices scientiæ.

Patet ergo ex auctoritate philosophi, quòd mulier in generatione non se habet, nisi sicut patiens, & materia: Si contradicit Galenus, hoc est secundum Auicenna; quia modicum sciuit de radice scientiæ, licèt multa sciuerit de ramis. Verum quia non sufficit auctoritatem philosophi allegare, nisi adducantur rationes ad propositum, volumus adducere septem rationes, ostendentes, quòd in spermate, siue in menstruo fœminæ, non sit virtus actiua ad productionem fœtus.

Prima ratio sumitur ex parte ipsius fęminæ. Secunda ex parte menstrui eius. Tertia ex parte vtriusque scilicet tàm maris, quàm fęminæ. Quarta ex parte spermatis vtriusque. Quinta ex eo, quòd hoc potest, incidit in illum errorem, quod sit potẽtia actiua in materia. Sexta, quia hoc potest, ponit datorem formarum, vel incidit in illum errorem. Septima sumitur ex ordine ipsorum agentium.

Prima via sic patet; si enim in spermate fęminæ esset virtus actiua, vt visus est sentire Galenus ad productionem fœtus, sequeretur, vt arguit Auerroes in suo colliget, quòd fœmina posset generare naturaliter sine omni viro: Nam si vtrumque sperma tàm viri, quàm fœminæ, haberet virtutem actiuam ad generandum; licèt forte sperma viri haberet huiusmodi virtutem fortiorem, & efficaciorem, iuxta dictum Galenũ; quæramus de huiusmodi actiuis virtutibus: quia vel vtrumque inducit formam; vel alterum; vt sperma mulierum disponet materiam, & sperma viri inducet formam; quòd si vtrumque inducit formam, posset contingere, quòd mulier posset naturaliter concipere sine viro; Nã agens debile in materiã benè dispositã, inducit suam formam; vt debilis ignis in materiã bene dispositã, posset inducere formã ignis: Si ergò mulier esset bene disposita ad concipiendum; & sanguis menstruus esset benè dispositus ad suscipiendum actionẽ agentis, etiam debilis virtus in fęmineo spermate, posset sufficiẽter facere ad conceptionem fętus; imò manifestè videmus in natura, quòd eadem forma, quę est remissa, & debilis ad agendum,

Debilis virtus in fœmina.

fit intenſa, & efficax ad operandum; vt eadem albedo remiſſa,& debiliter viſum diſgregans poteſt intendi,& fortificari,& fortiter diſgregare:ſi igitur in ſpermate mulieris eſt virtus actiua, ſed debilis ad productionem fœtus, ad qui poneretur ſperma viri, cũ eadem virtus debilis,& remiſſa poſſit fortificari, & intendi, & fieri efficax ad operandum?

Secundum hanc itaque poſitionem, non ſolùm poſſet contingere,quòd mulier conciperet ſine virili ſemine; ſed etiam fruſtra, & pro nihilo eſſet ſperma viri: hoc eſt ergo quod Aueroes dicit in ſuo Collibeto, quòd ſi eſſet virtus actiua in ſpermate mulieris, mulier faceret puerum per ſe ipſam,& vir eſſet pro nihilo.

Sed dicet aliquis,quod ſic eſt virtus actiua in vtroque ſpermate, quòd non vtraque virtus inducit formam;ſed virtus ſpermatis fœminæ tamquam ſub actiua diſponit materiam, virtus ſpermatis viri tamquam principalior in agendo, inducit formam. Sed nec iſtud ſtare poteſt; quia non aliud agens inducit accidentia diſponentia materiam, aliud inducit formam;ſed ſemper magis paſſio facta abijcit à ſubſtantia; & omne agens naturale inducens accidentia diſponentia materiam inducit formam: Quia ergo hoc eſt naturale, vnum & idem agens prius diſponere materiam, & poſtea inducere formam; non attribuimus hoc alij, & alij agenti, quòd vnum diſponat, & aliud introducat:ex parte itaque ipſius fœminæ; quia poſſet facere puerum ſine viro,ſi eſſet virtus actiua in ſpermate eius, patet falſum eſſe Galeni dictum.

Materia agens.

Secunda via ad hoc idem ſumitur ex parte menſtrui mulieris: Nam ſecundum philoſophum in nono methaphiſicorum,vbi tãgit de materia propria,& extranea ſiue remota, dicit quòd materia propria ratio eſt,quando non indiget niſi vno motore ad productionem rei; materia autem remota, quãdo indiget motoribus pluribus; vt non eſt propria materia Idoli terra; ſed cuprum; ex cupro enim fit Idolum per motorem vnum; ſcilicet per facientem Idolã: Sed ex terra fit Idolum per motores plures, ideſt per motorem alium, ab eo,qui generat, vt Commem. ibidem exponit: Generans ergo Idolum, vt artifex, à cuius forma in mente,ſiue in anima, fit forma Idoli in materia, ſi debeat ex terra facere Idolũ, indigebit motore aliquo; quia indigebit corpore cęleſti,vt Comment. ibidem declarat; Si enim per artificem, vt per facientem ſtatuas, debeat fieri Idolum, ſiue ſtatua ex terra: Primo virtus cęleſtis alterabit venas terræ,& generabit inde ęs, vel cuprum,&

poſtea

postea ex illo cupto faciet artifex Idolum.

Ad introducendum ergo formam in propriā materiā, sufficit motor vnus, vt generans; sed ad introducendum in materiā extraneā,& remotā, requiritur motor alius à generante: Cum ergo propria materia fœtus sit menstruum fœminæ,sufficiet ad introductionem formæ, motor vnus,vt generans; sufficiet ergo sperma viri, vt est virtus generatiua: Ex ipso itaque menstruo, quod,vt patet,est propria materia fœtus,patet ad huiusmodi generationem non concurrere motores duos, siue sperma duo, tamquam duo agentia, sicut sufficit alterum sperma, videlicet viri. Et si quis obijciendo, diceret, menstruum non se habere sicut materiam propriam fœtus, sed sicut materiam remotam; ideo est necessarius alius motor à generante; & ex hoc concurrunt ibi duo motores,videlicet, sperma viri,quod disponit materiā propriā,& inducit formā; & sperma mulieris, quod disponit materiā remotā,vt sanguinē menstruū mulieris faciens inde materiā propriam.

Dicemus, quòd hoc stare non potest; quia,vt vult ille Auerroes in suo Colliberto,semper nutrimentum habet rationem materiæ: Si ergo sanguis menstruus non esset propria materia fœtus; sed sperma mulieris; alteraret huiusmodi sanguinem, vt fieret materia propria, conueniens esset, quòd sperma fœmineum esset magis materia fœtus, quam menstruum, quod planè voluit Galenus asserens, quod huiusmodi sperma fœmineum nutrit se ex menstruo, vt fiat idem fœtus: attamen dato, quòd Galenus non diceret, ipsa ratio cogeret sic dicere, si vellemus substinere positionem prædictam: Nam non posset poni sperma fœminæ habere virtutem actiuam sicut forma viri, videlicèt, quòd assimilaret sibi passum introducendo formam rei genitæ, quia tunc superflueret sperma viri: Sed si esset necessarium sperma fœminæ ad agendum, hoc esset eo modo,quo ponit Galenus,quòd cibaret se huiusmodi sperma ex menstruo, & conuerteret ipsum ad se, quod faciendo, faceret de materia remota, materiam rei propinquam; quo posito, sperma mulierum esset magis propria materia generationis, quam menstruum, quod potest esse falsum, quia eadem est materia nutriti, & generationis, iuxta illud philosophi secundo de generatione, ex eisdē nutrimur, & sumus: illud ergo, ꝙ est materia generationis,per quā acquirimus esse,est materia nutritionis, per quam conseruantur in esse; non differt aūt, nisi quòd nutrimētum videtur respicere materiam partis, vt quia

mitti-

mittitur particulatim, & diuiſim ad ſingula membra, vnde nutriuntur; generatio autem reſpicit totum: Sed vt Auerroes ait, eadem eſt materia partis, & totius: Si ergo materia generationis propria, quæ reſpicit totum, eſſet ſperma, non ſanguis; nutrimétum, quod reſpicit particulariter membra, eſſet ſperma, non ſanguis; nutrirentur ergo membra mulierum ex ſpermate, non ex ſanguine, quod cum falſum ſit dicere, vt idem Comment. ait in ſuo Collibeto, erit propria materia generationis fœtus, ſanguis, ſicut eſt propria materia nutrimenti membrorum: & quia ad inducendum formam in materiã propriã, indigemus tantùm vno motore, non concurret duplex ſperma, tanquam duplex agens, vel duplex motor ad generationem fœtus, ſed ſufficiet ſperma viri tantum: quod ſi poneretur huiuſmodi agens ſperma fœmineum, cum ſuppoſitum ſit, quòd ſufficiat vnus motor, pro nihilo eſſet ſperma virile.

Tertia via ad hoc idem ſumitur ex parte vtriuſque, tàm viri, quàm fœminæ; Nam oportet, quòd vterque faciat ad generationem: Cum ergo generatum conſtat ex duobus, ex forma ſcilicèt, & materia; & nihil ſit aliud generatio, quam introductio formæ in materiã, per ſe, & directe non faceret vtrumque ad generationem, niſi inquantum dant formam, vel materiam: vel ergo vtrumque dabit formam, & materiam vtrumque: vel alterũ formam, & alterum materiam: Si vtrumque formam, vt patet per prędicta, alterum ſuperflueret; quia cum forma non inducatur, niſi in propriã materiã; cum ad talem introductionem ſufficiat vnus motor, vt generans; alterum motorum ſuperfluet: ſi vtrumque daret materiam; quia ſuperflueret vir, cum ſufficienter det materiam fęmina.

vir, & fęmina in generatione.

Dicemus ergo, feminam, & virum ſic ſe habere, quod ne ponamus alterum ſuperfluere; nec vterque dabit formam, nec vterque materiam. Non eſt autem dicendum, quòd vir det materiam, & fœmina formam; quia virtus actiua non ingeret in viro, ſed in fęmina: repugnat etiam hoc ſenſui; quia tam modicum quid, ſicut eſt ſperma viri, non poſſet ſufficere ad materiam fętus: relinquitur ergo, quòd vir det formam, & fęmina materiam: propter quod ſequitur, quod in fęmina, & in his, quę ſunt fęminę, non poſſit eſſe virtus actiua, ſed paſſiua. Hoc planè patet per philoſophum in ix. de animalibus dicentem, quòd ex maſculo eſt principium motus; & ex fęmina eſt materia: hoc idem dicit Auc-

ſoes in ſuo Collibeto, qui loquẽs de maſculo, & fęmina ait, quòd vnum eorum eſt dator materiæ, & alius dator formæ; & impoſſibile eſt, vt dicit, quòd fęmina det formam, & maſculus materiam; ideo cum dicit, quòd dator nutrimenti eſt dator materiæ; fœmina ergo, quæ eſt datrix nutrimenti, eſt datrix materiæ; maſculus verò formæ; & ad hoc allegat Ariſtotelẽ; non ergo in fęmina eſt virtus actiua ad generationem, ſed ſolùm eſt datrix nutrimenti, & materiæ.

Quarta via ſumitur ex parte vtriuſque ſpermatis: diceret forte aliquis, vt etiam idem Aueroys arguit, quòd nullum iſtorũ ſpermatum facit ad hanc operationem, quouſque ſunt immixta adinuicem, ſicut patet ex Oximelle; quo poſito, videntur vtrique, habere virtutem actiuam mixtum; ſeparatum autem, nullum. Sed ſi ſic dicimus, vt idem Aueroys ait, ambo ſpermata ſe habebunt ſicut materia; quia nunquam ex duobus ad inuicem mixtis, fit tertium, niſi illa duo ſe habeant ſicut materia: oportet ergo dare aliquid, in cuius virtute introduceretur hæc forma; ſecundũ hoc ergo, nec in ſpermate viri, nec mulieris, eſſet talis virtus actiua; Sed in matrice, vbi coniunguntur illa ſpermata, oportet dare virtutem talem, quæ illi mixto daret virtutem generatiuã; quia nullum de ſe ad hoc eſſet ſufficiens: licèt enim in animalibus inperfectis non generantibus videretur ſufficere virtus cęleſtis, & putrefactio; in his tamen, quæ fiunt per generationẽ, oportet virtutem actiuam attribui ſimili in ſpetie: Si ergo neutrum ſperma, nec viri, nec fęminæ, per ſe ſufficit ad generationem actiuam, & ad habendam virtutem generatiuam, quodlibet ſe habebit ſicut materiale, & quodlibet eſt ſicut inſufficiens; propter quod oportebit ex aliquo ſimili in ſpecie, aduenire ſibi huiuſmodi ſufficientia, & complementum; hoc autem non eſt ex maſculo, quia huiuſmodi mixtum ex vtroque ſemine, nunquam habuit eſſe in maſculo; oportebit itaque ex matrice fęminæ, vel qualitercumque aliter ex fęmina, aduenire huiuſmodi perfectionem, & complementum; quo poſito, fęmina ſe haberet ſicut principaliter agens in generatione, quod nullus diceret. *Sperma maris, & fęminæ.*

Quinta via ſic patet, quia hoc primò ponit potentiam actiuã in materia; cum enim mulier tribuat materiam, & maſculus formam, ſi eſſet virtus actiua in eo, quod fęmina tribuit generationi, eſſet virtus actiua in materia, quod falſum eſt; quia vt patet in 2. Phiſicorum materia non coincidit cum alijs cauſis; oportet e-

nim in his corporalibus agens, & pacièns esse distincta loco,& subiecto;quęremus enim à sic dicentibus, vtrum illa virtus actiua, quæ ponitur in spermate fęminæ, cooperetur agenti ad receptionem formę in se ipsa, vel ad receptionem formę in aliquā materiā;quod si cooperatur ad introductionem formę in se ipsā,in eodem erunt oppositæ;quia idem est agens,& patiens; idem etiam esset in potentia,& in actu; vt enim recipit formam, est quid patiēs, & quid in potētia; prout aūt cooperatur ad huiusmodi receptionem, est quid agens,& in actu, quod stare non potest.

Sed dicet aliquis,quòd virtꝰ actiua,siue in formatiua, quæ est in spermate fęminæ, non cooperatur ad introductionem formę in se ipsā, sed in materiā aliā, vt in mēstruo;diceretur ergo secundum hoc, quòd in fęmina sunt duo humores; vnus,qui emittitur sine impulsu, & sine delectatione, vt sanguis menstruus; & alius, qui emittitur cum impulsu & delectatione,vt humiditas quædā, quæ nō est verum sperma, sed assimilatur spermati;fęmina enim aliquid habet simile spermati,emittens illud cum impulsu & delectatione; & quia,vt videtur, huiusmodi humiditas fęminea sic emissa, magis habet de decoctione, conueniens est,vt videtur, quòd magis habeat de actualitate; iddeo hoc sperma,quasi quid actualiꝰ menstruo, disponit non se ipsum, sed menstruum ad susceptionem formę, vt ibi diuersa sint agens, & patiens. Sed hoc est inconueniens dicere, quod vbicumque sunt duo,quorum vnū se habet vt patiens ad susceptionem formę; aliud autem vt agēs, potest inde fieri generatio:si ergo in ipsa fęmina sunt duo humores,videlicet, sanguis menstruus, qui se habet vt patiens, & sperma,quod agit in menstruum ad susceptionem formę, vir esset ibi pro nihilo;quia posset fęmina per se puerum facere;vbicumque autem non sunt duo corpora distincta, agentis,& patientis, tunc vnum sufficit ad generationem;sicut videt in seminibus, vt puta in grano frumenti, vbi vnum solum granum potest sufficere ad generationem, vt fiat inde generatio, & generentur ex vno grano multa grana; in grano enim frumenti non sunt per se distincta corpora actiui & passiui; sed in eodem grano vna pars,vt cuspis, se habet vt aliquid actiuum;& id,quod est in medio, se habet,vt quid passiuum;& inde est,quòd formicę ex naturali instinctu ex granis frumenti, quæ subter terram recondunt,amputant cuspides,& eijciunt eas, ne illa grana germinent: Si ergo hoc esset in fęmina,quòd essent ibi duo humores deseruientes gene-

rationi,

rationi, vnus vt agens, alius vt patiens, per se ipsam generaret, & mas esset ibi pro nihilo; quod est valde inconueniens dicere: vnde & philosophus, sicut supra diximus, in xv. de animalibus, in habentibus naturas distinctas, & corpora distincta, mas dat formam, & fœmina materiam: Quicquid ergo exhibet fœmina ad generationem, se habet vt materia: quare si in aliquo esset virtus actiua, esset potētia actiua in materia, quod est valde incōueniēs.

Sexta via sic patet, quia si aliquis omnino propteruiret dicens, ad generationē omnino esse tres humores necessarios, sperma maris, sperma fœminæ, & menstruum; quæ tria sic habent, quia menstruū se habet vt materia; sperma fœminæ, vt disponens eam; sperma maris, vt inducens formam; dicemus quòd hoc posito, incidimus in positionem, quod sit ponere datores formarum, videlicet, quòd vnum materiam disponat, & alius sit dator formę & inducens formam; Illud enim idem agens, quod disponit materiam, inducit & formam; excepta anima intellectiua, de qua dicit philosophus in xvi. de animalibus, quod solus intellectus est ab extra; illud enim, quod senserunt ponentes datores formarum de omnibus formis, quòd agentia propria disponebant materiam, & agens superius, quasi dator formę, inducebat formam; secundū quem modum oēs formę erant quasi ab extra, quia non educebātur de potentia materiæ, cum non inducerentur à disponente materiam, quod dictū est de sola anima intellectiua, ad cuius inductionem agens particulare solum disponit materiam; Deus autem ipse inducit huiusmodi formam: Cum ergo agimus de generatione maris & fœminæ, aut loquimur de hominibus, aut de alijs animalibus; Si de animalibus alijs, tunc animæ aliorum animalium erunt ab extra, si est ibi dare tria scilicet menstruum, quod se habeat vt materia; Sperma fœminæ, quod se habet vt disponens eā; & sperma maris, quod se habet vt dans formam:

Idem agens disponens, & inducens formam.

Quotiescumq; enim in naturalibus, vnum agens disponit materiam, & aliud inducit formam, illa potest dici esse ab extra; quia non est à disponente materiam; formæ enim hoc modo dicuntur non esse ab extra, sed educuntur de potentia materiæ; quia agens disponit materiam, & disponendo materiam, inducit formam; Idem enim est actus agentis, & patientis, sicut idem est motus mobilis, & mouentis; motus enim est actus mouentis, tamquam eius, a quo est, & est actus mobilis tamquam eius, in quo est; sic & forma, est actus agentis tamquam eius, à quo est; & est actus passi tam-

si tamquam eius, quod perficit, & in quo est; forma ergo est in potẽtia agẽtis, quia potest disponere materiam, vt inde educatur forma; & est in potentia materiæ, quia potest disponi materia, vt inde educatur forma:

Esse ergo formam à disponente materiã, non est esse ab extra, sed ab intra; quia huiusmodi agens disponit materiam, vt inde educat; & materia disponitur, vt inde educatur forma: sed si disponens materiam non posset inducere formam, conueniens esset, quòd ab extrinseco expectaretẽ huiusmodi forma, & non educeretur de potẽtia materiæ: igitur animę aliorum animalium dicerentur esse ab extra, si essent ibi duo agentia, vnũ disponens, & aliud inducens? Incidit ergo hoc primo cum ponentibus datores formarum, & cum dicẽtibus formas esse ab extra. Sed si loquamur in hominibus, tunc disponens materiam, est ipsum sperma maris; non ergo indigemus ad hoc spermate fęminæ, quod vnum disponat, & aliud introducat; quia solus Deus habet inducere huiusmodi formam, vt sola huiusmodi forma sit ab extra. Multę ergo rationes sunt factæ ad propositum, quarum aliquæ excludunt omnem intellectum, quod in humore quocumque fęmineo, sit potẽtia actiua, vel virtus informatiua ad generationẽ; aliquæ vero obuiant vno modo, vt putà si materia et huiusmodi humor cooperetur agenti, mouendo se ipsum ad susceptionem formę; aliquæ verò si cooperẽtur agenti non disponendo se, sed disponendo aliam, vt ibi per aliud agẽs disponatur materia, & per aliud introducatur forma; omnes tamen rationes factæ sunt ad propositum, quia vel simpliciter concludunt intentum, vel particulariter excludunt intellectum prauum, & opiniones falsas.

Datores formarũ.

Septima, & vltima via sumitur ex parte ordinis agentiũ; quia si concurrit ibi duplex sperma, viri scilicet, qui actiuũ; & fęminæ, qui subactiuum, oportet, quòd sit ordo per se, & essentialiter inter huiusmodi agentia: Cum ergo mas, & fęmina differant secundum differẽtias materiales; non autẽ secundũ differẽtias essentiales, & formales, vt patet ex x. methaph. esse poterit, sicut & est, quòd in generatione vnum se habeat, vt formale, aliud vt materiale: Sed quòd tàm mas, quàm fęmina se habet, vt formale, & quòd sit ibi ordo essentialis secundum formas, & quòd in generatione, quod maxime est opus naturæ, & formæ, vnum se habet, vt formale; aliud vt sub formale: vel vnum vt actiuum, aliud vt subactiuum; & quod sit ibi ordo essentialis secundum actum, & formã,

inter mare, & fęmina indifferẽtia formalis, & ſpecifica, non permittit.

CAPVT III.

Quod ſperma fęminæ, non eſt conueniens generationi, nec vt materia.

REVIT ergo primo Galenus tres humores ad generationem animalium perfectorum concurrere; videlicet ſanguinem menſtruum, ſperma fęminæ, ſperma maris, quos tres humores generationis animalium perfectorum poſuit eſſe principia; quos etiam tres humores, ſiue tria principia, ſic differre ponebat; quia ſperma maris (ſecundum eum) eſt per ſe faciens, & per ſe formans propter multum ſpiritum, qui eſt in ipſo; Sperma autẽ mulieris eſt agens, & formans ſicut organum motum, & excitatum à ſpermate maris; ideo huiuſmodi ſperma non dicebat habere vim formatiuam; quia hoc competit ſpermati maſculino; Sed vim informatiuam, ideſt, eſt in virtute alterius formatiua: Tertium autem humorem poſuit ſanguinem menſtruum ſe habentem ſolùm vt materiam: Secundum hoc ergo ſperma viri ſe habet, vt mouens & formans tantùm; ſanguis autem menſtruus, vt quid motum, & quid formatum; ſperma autem fęminæ ſecundum hoc complectitur vtrumque; quia ſe habet, vt mouens, & motum; & vt formans & formatum; huiuſmodi enim ſperma eſt mouens & formans; ſed ſanguis menſtrui eſt quid motum, & formatum reſpectu ſpermatis maſculini: ſperma ergo maſculinũ, ſecundum hoc, ſe habebit vt agens; menſtruus autem ſanguis, vt materia; ſed ſperma fęminæ complectitur vtrumque. Cum ergo ſit ſufficienter perhabita declaratum, quòd ſperma fęminę in generatione non ſe habet, vt agens, & vt inducens, vel diſponens ad formam; volumus oſtendere, quòd non ſe habet, vt materia ſuſcipiens formam; ſed poſtquam hoc fiẽt, adducemus rationes, per

quas

quas aliqui conantur ostendere huiusmodi sperma esse generationi conueniens, & si non tanquam agens, saltem tanq̃ materia.

Possumus autem eorum dicta ad quatuor adducere, vt prima ratio sumatur ex conformitate huius spermatis ad membra. Seconda ex restauratione membrorum. Tertia ex alteratione, quàm adipiscimur in sanguineo menstruo. Quarta ex differentia, quam habet huiusmodi sperma ad sanguinem menstruum.

Prima via sic patet; Nam cum membra animali ponantur ossa, nerui, & venę; si materia horum membrorum poneretur aliquid fluidum tantùm, non viscosum, cuiusmodi est sanguis menstruus, nullam conuenientiã haberet talis materia ad huiusmodi membra; cum enim actus actiuorum sint in patiente dispositò; & propria forma, non nisi in conuenientem materiam inducatur; cum enim ossa & nerui, & venæ, non sint quid fluidum; sed quid stans, & quid bene terminatum; materia horum non potest esse materia fluida, cuius est sanguis menstruus; sed viscosa, cuiusmodi est sperma; non masculinum, quia id se habet vt agens; sed fęminum, quia se habet vt materia, & vt patiens: præstabit ergo mulier in generatione duplicem materiam, videlicet sperma, & menstruum, quæ secundum suam conuenientiam, deseruient ad formationem membrorũ; quia sperma tamquam quid viscosum, & benè terminabile deseruiet, vt inde fiant ossa, nerui, & venæ, tanquam bene terminata, & duriora; & sanguis menstruus deseruiet, vt inde fiat caro, tanquam quid molle, & leue ad replendum vacuitates inter neruos, & venas, & ossa; vt ex vno istorum humorum, scilicet ex sperm ate fiant magis illa, quæ dicuntur esse secundum formam, & quæ stant, cuiusmodi sunt ossa, & nerui, & venæ; ex alio verò, vt ex sanguine menstruo, fiant quæ sunt magis secundum materiam, quę fluunt & refluunt; cuiusmodi sunt caro, & adeps; ipsa ergo conuenientia spermatis propter sui viscositatem ad venas, neruos, & ossa arguit, quòd in generatione se habet saltem, quasi horum membrorum materia.

modi

Materiæ membrorum.

Secunda via ad hoc idem sumitur ex restauratione membrorum; quia secundum medicorum sententiam, ea membra, quæ generantur, ex sanguine restaurantur; & inde est, quòd caro, quia generatur ex sanguine, restauratur: Si ergo omnia membra generarentur ex sanguine; omnia membra abscisa possent restaurari: ossa igitur nerui, & venæ post abscisionem restaurarentur; oportet igitur talia non fieri ex sanguine: Et quia fęmina dat materiam, sicut mas formam; cum in fęmina non videamus, nisi

men-

menſtruum, & ſperma; ſed materia horum non patet eſſe menſtruum fęminę; oportet quòd ſit eius ſperma; ex ipſa itaque reſtauratione membrorum, quia aliqua membra ſunt reſtaurabilia, aliquæ irreſtaurabilia, oportet dare multiplicem materiam, videlicet menſtruum ſanguineum, qui eſt materia membrorum reſtaurabilium, & ſperma fęminæ, quod eſt materia irreſtaurabiliũ. Ex hac autem reſtauratione videtur concludi, quòd ſperma fęminæ ſit magis materia fętus, quam menſtruum eius; quia oſſa, nerui, & venæ, quæ ſecundum hanc viam ſunt in ſpermate fęminæ, ſunt magis de cõpoſitione corporis animalis; quã caro, & adeps, ſiue pinguedo: Nam oſſa, nerui, & venæ ſunt propriè, per ſe, & primò, ex quibus videtur eſſe animal ſecundum Auicennæ ſententiam; caro autem, & adeps videtur eſſe materiã corporis animalis ex conſequenti, ad ſupplendum ſcilicet vacuitates inter neruos, venas, & oſſa. *Sanguis menſtruus.* *membra.*

Tertia via ad hoc idem ſumitur ex alteratione, quã aſpicimus in ſanguine menſtruo: Nam ſanguis menſtruus non fit materia fętus, niſi alteratus, & dealbatus: Imaginãtur enim medici, quòd quia nimis eſſet modica quantitas ſpermatis maris, & fęminæ, vt ex his duobus ſpermatibus formaretur tanta quantitas corporis, quantam requirit embrio; ideo fit attractio (vt dicunt) ſanguinis menſtrui, quaſi dealbatur ad ſimilitudinem ſpermatis, vt in membrorum materiam conuerti poſſit: Si ergo ſanguis menſtruus ſit materia corporis animalis, priùs ſcilicet dealbatur ad ſimilitudinem ſpermatis; vel, conuenientius, vt videtur, quòd ipſum ſperma magis ſit huius materia, quã ſanguis: Sed ſi ſperma eſt propria materia fętus, magis propriè diceretur ſic eſſe materia ſperma fęminæ, quam maris; quia fęmina eſt illa, quæ propriè in generatione dat materiam, non mas.

Quarta autem via ſumitur ex differẽtia, quam habet huiuſmodi ſperma ad ſanguinem menſtruum; & videtur eſſe duplex; dicitur enim quòd fęmina emittit ſperma cum delectatione, & impulſu, ſicut & mas; menſtruum autem non emittit, nec cum delectatione, nec cum impulſu: Cum ergo ſperma in fęmina, quãtum ad delectationem, & impulſum, differat à menſtruo, & conueniat cum ſpermate maris, poſſumus ſic arguere, quòd cum ſperma maris principaliter faciat ad generationem, illud propriè in fęmina ad generationem faciet, quod magis conuenit cum ſpermate maris; huius autem eſt ſperma fęminæ, non menſtruum:

magis

magis ergo ad generationem facit ſperma fęminæ, quam menſtruum; ſed cum fęmina non det formam, ſed materiã; ſi ſperma fęminæ magis facit ad generationem, quam menſtruum, ſequitur quòd materia fętus magis ſit fęminæ ſperma, quam menſtruum. Et his autem rationibus concluditur, quòd ſi ſperma fęminæ non facit ad generationem, quòd det formam; facit tamen ad generationem, quòd exhibet ſe tamquam propria materia: nos autem neutrum horum verum eſſe dicimus, quòd huiuſmodi ſperma, nec dat formam, nec ſe exhibet, vt materia. In ſuperiori autẽ capitulo probauimus, quòd ſperma fęminæ, non dat formam: in hoc autem capitulo probamus, huiuſmodi ſperma non ſe habere tanquam materiã; verũ quia contra argumentarę, non eſt ſoluere; ideo in ſequentibus ſoluemus tàm rationes ſuperiùs factas, quòd ad ſperma fęminæ pertineat aliqualitèr diſponere materiam, vel dare formam; quam etiã rationes adductas, quòd huiuſmodi ſperma ſe habeat tanquam materia; in pręſenti tamen capitulo, ſolùm intendimus contra argumentarę, & facere rationes in oppoſitum, quòd ſperma fęminæ, non ſe habet, vt materia: Et vt æqualiter rationibus procedamns, cõtra aduerſarios adducemus quattuor rationes, quòd ſperma fęminæ non ſe habet vt materia, ſicut & ipſi quattuor rationibus poſt conabantur aſſerere, ſicut etiã ſuper fecimus; quia cum ipſi ſeptem rationibus conarentur probare, quòd in ſpermate fęminæ eſſet virtus actiua, ſeptem etiam rationibus huiuſmodi oppoſitum probabamus.

Prima ergo via, quòd ſperma fęminæ non ſe habeat, vt materia fętus, ſumitur per compoſitionẽ ad virtutem, à qua fit actio in propria, & denudata materia. Secunda per comparationem ad potentiam paſſiuam, ad quam eſſentialiter ſe habet materia. Tertia per comparationem ad nutrimentum, cum quo naturaliter conuenit materia. Quarta prout huiuſmodi ſperma fęmineũ, nec eſt propriè ſperma, nec menſtruum; propter quod nec propriè ſe habet, vt agens, nec etiam, vt materia.

Prima via ſic patet; nam ponere, quòd ſperma fœmineum in generatione animalium, ſe habeat, vt materia, eſt ponere, quòd in huiuſmodi ſpermate, eſt virtus actiua: quo poſito, ſequitur, quòd huiuſmodi ſperma, non ſe habeat, vt materia; imò hoc ponere, oppoſita implicat, & incidit in poſitionem primã; propter quòd negantes, quòd ſperma fęminæ non habet in ſe virtutem actiuã; ſed ſolùm ſe habet, vt materia, incidunt in hoc, quòd

negantẽ

negant; videlicet, quòd sit in eo virtus actiua, & quòd non solùm se habeat, vt materia, & per consequens implicat opposita; videlicet, quòd huiusmodi sperma sit materia, & non materia; & habeat virtutem actiuam, & non habeat: ponendo ergo vtrumque, negatur vtrumque, & de eodem ex vtraque parte opposita concluduntur: Quęremus enim à ponentibus, quòd sperma fęmineum se habet in generatione, sicut materia, quòd sit magis propriè materia, an sperma, an huiusmodi menstruum: si dicatur quòd menstruum; tunc frustra poneretur huiusmodi sperma esse materiam, cum sit valde quid modicum; cum enim fęmina possit sufficienter ministrare menstruum ad constitutionem fętus, frustra ordinasset natura, quòd huiusmodi sperma ingrederetur fętũ, tãquam materia; quia sufficiẽter sit ibidem de materia propria scilicet de menstruo, frustra adderetur ibi sperma, quòd ponitur materia non ita propria.

Aduertendum ergo, quòd in primordio antequam sit ibi alia membrorum distinctio, sicut oportet, indistincta sunt membra fienda; ita quòd indistincta sit materia: illud ergo quod attrahitur in primordio de sanguine menstruo, si est simile cum materia, cum spermate, oportet tàm sperma, quàm illud habere quamdam vniformitatem; vel ergo sperma fiet sicut menstruum, vel è conuerso; quòd si sperma fieret sicut menstruum, frustra natura hoc faceret, conuerteretur sperma fęminæ in menstruum ad constituendum fętum; cum sufficienter habeat de ipso menstruo; non ergo potest aliter poni, quòd tàm menstruum, quàm sperma se habeat, vt materia; & maximè vt materia indistincta, cuiusmodi est in primordio; nisi quòd menstruum in primordio conuertatur ad similitudinẽ spermatis; sed hoc sperma fęminæ magis sit propria materia, quàm menstruum. *Sperma fęminę ad quid.*

Quęremus ergo, à quo fit talis conuersio, vtrum à spermate fęminæ, vel à spermate viri: quòd si à spermate fęminæ, habemus intentũ, videlicet, quòd virtus actiua, est in huiusmodi spermate. Et quia hoc repugnat materiæ, quòd habeat virtutem actiuam; ponentes huiusmodi sperma non habere virtutem actiuam, incidunt in id, quod negant, quòd habeat virtutem actiuam; & per consequens incidunt, quòd negent, quod affirmẽt, videlicet, quod non se habeat, vt materia; vtriq; ergo cogũtur simile positione opposita, vt quòd sit idem agens, & materia; tàm scilicet ponentes, quòd sperma fęmineum habet virtutem actiuam; & sic etiam ma-

teriã, quod posuit Galenus, quam ẽt ponentes, quòd huiusmodi sperma non habeat virtutem actiuam, sed solũ sit materia, quod posuerunt quidam moderni doctores & magni; ait enim Galen. vt recitat Auicenna nono de animalibus; quòd sperma fœminæ cibat se ex sanguine menstruo; vt multoties inualescat sperma viri; propter quod secundum eum, idem esset agens, & materia.

Menstruũ fœminæ.

In hoc etiam incidunt & alij volentes, quòd sperma fœminæ sit magis propria materia, quam menstruum; asserentes etiam, quòd virtute huius spermatis, menstruum in primordio dealbetur: habet ergo huiusmodi sperma, postquam alterat, & disponit menstruum ad susceptionem formæ, virtutem actiuam, & non solùm se habet, vt materia.

Redeamus ergo ad propositum, & dicamus, quòd si menstruũ in primordio sit conforme spermati fœminæ, vt totum posset fieri vniformis materia fœtus, sicut & in principio non est ibi difformitas; vtrum talis alteratio, & talis conformitas fiat per sperma fœminæ, vel maris: Quòd si per sperma fœminæ, concluditur dictum inconueniens, quòd in huiusmodi spermate sit virtus actiua; & per consequens quòd non se habeat vt materia: Si autem fit hoc à spermate maris, & nihil ad huius conformitatem, & alterationem cooperatur sperma fœminæ, frustra ponitur, quòd huiusmodi sperma sit per se necessarium ad generationem; quia postquam in fœmina tantum est de menstruo, quod sufficit pro materia; & in spermate maris est virtus actiua ad alterãdum, & agendum in huiusmodi materiã, tanquam non per se necessariũ generationi, dimittendum est sperma fœminæ; & est simpliciter asserendum, menstruum esse sufficientem materiam, & sperma maris habere virtutem ad inducendum formam.

Ex ista itaque virtute actiua, a qua debet secundum quod huiusmodi denudata esse materia, cõcludere possumus, quòd sperma fœminæ non se habeat in generatione sicut materia; vel, si se habet, sequitur oppositum eius, quod dicitur, videlicet, quòd in eo sit virtus actiua, à qua debet denudata esse materia. Et vt melius intelligamus, quod dicitur, dicemus, quòd deceptio sic loqueptium ex hoc oritur; nam quia viderunt, quòd menstruum, quod attrahitur in principio ad constitutionem fœtus, dealbatur; quia embrio in principio est quasi lac, & est quid album, & quia in hoc habet quandam conformitatẽ cum spermate fœminæ, crediderunt, quòd sperma fœminæ, esset propria materia fœtus:

menstruum autem non esset huiusmodi materia, nisi dealbatum, & alteratum; sed non valet, si rubeum, quod est mel, sit dulce; quod rubeũ, quod est fel, sit dulce; nec videlicet, si menstruum in primordio conceptionis attractum, sit quid album, & est materia, quòd sit sperma feminæ; quia est quid album, est etiam materia; sicut nõ videlicet ex parte viri, quid quia semen est qd viscosum, & album; ideò habet virtutem actiuam ad generandum, quod muscillagines, quæ sunt huiusmodi, quia sunt albæ, & viscosæ, habeant virtutem ad generandum. Dicemus ergo, quod albedinem hanc, quam habet fœminæ sperma, habet à fœmina; vnde & sine viro somniando, vel aliter potest fœmina educere, vel emittere huiusmodi sperma; albedinem autem, quam habet menstruum in primordio, non habet ex virtute, quæ sit in fœmina, nec in spermate fœminæ, sed ex virtute, quæ est in spermate maris: Et quia fœmina non se habet in generatione, vt agens, sed solum vt materiam exhibens; ideò dealbatio, quę est in spermate, quia non est ab eo, quod in generatione se habet, vt agens; ideò huiusmodi sperma dealbatũ nõ est sufficiẽs ad suscipiendum formam agentis, tanquam materia; quia non est huiusmodi materia sic dealbata ab eo, quod est aptum natum inducere formam; sed menstruum in primordio dealbatum se habebit, vt materia ad susceptionem formę; quia illam dealbationem, & alterationem sortiebatur nõ à femina, nec à spermate fœminæ, quę non se habẽt, vt agentia; nec vt inductiuę formæ; sed à spermate maris, quod est aptum natum inducere formam: Concludamus ergo ex ipsa virtute actiua, à qua debet esse denudata materia, quòd sperma fœminæ non se habet vt materia; quia si sic esset non posset rationaliter aliter poni; nisi quia huiusmodi sperma cõuerteret ad se menstruũ, & fieret vna materia cum illo; haberet ergo virtutem actiuam; propter quod sequeretur, quòd non esset materia. Ad generationem itaq; fœtus non concurrunt per se tria necessaria, videlicèt menstruum, sperma fœminæ, & sperma viri; sed solum duo, videlicèt maris, quod sufficienter est ad agendum, & ad alterandum menstruum ad suscipiendum formã, & ipsum menstruum, quod est sufficientis quantitatis, & potest sufficienter alterari, & disponi p sperma maris, vt suscipiat formã.

Secunda via ad hoc idem sumitur ex potentia passiua, ad quam essentialiter se habet materia; nam, vt dicit Comme. inde substantia orbis, essentiale est materiæ, esse in potẽtia, quod esse,

intelligendum est de potentia passiua: Videamus ergo, quid est terminus agentis, & passi: Dicemus, quòd est forma; idem enim intendit agens, & patiens, licèt non eo modo: vt si quæratur, quid intendit agens? dicemus; quod intendit inducere formam: & quid patiens? recipere formam; aliter tamen, & aliter; quia agens hoc intendit, inquantum vult assimilare sibi passum, & vult suam speciem dilatare, & multiplicare; passum verò hoc intendit, inquantum vult ab agente perfici; quod ergo est agentis posse agere, hoc est passi posse recipere: materia igitur, & in re passa hoc requirit, quod sit benè passiua ad susceptionem formę, sicut in agente, quod sit benè actiua ad inductionem; hoc autem magis habet menstruum, quam sperma fœminæ:

Dicemus enim quod sanguis menstruus, vnde formatur fœtus, est illud, quod est in propinquissima dispositione, vt inde fiant membra: vnde & philosophus in decimo secundo de Animalibus ait, quòd sanguis est vltimus cibus animalis habentis sanguinem; animal autem carens sanguine (secundum ipsum) cibatur per id, quod conuenit cum sanguine: Sanguis ergo, qui est vltimus cibus membrorum, & est illud, quod conuertit in membra, habet proximam dispositionem, vt ex eo fiant omnia membra: & quia talis debet esse propria materia fœtus, quod est habile, vt inde formentur membra; ideò huiusmodi materia est sanguis fœminæ, non eius sperma; videtur enim quantum ad aliquid, eo modo se habere sanguis in fœmina, quantum ad receptionem formę, sicut se habet sperma viri, quantum ad inductionem; Circa enim vnum, & idem tempus quasi incipit esse sperma in viris, & menstruum in mulieribus, vt tempore pubertatis: adhuc in eadé ætate, vt in senectute, deficit menstruum in mulieribus, & debilitatur virtus generatiua, in spermate virorum: ex quibus potest colligi, quòd proportionaliter eo talis superfluitas, sit sperma in corporibus virorum, quale est menstruum in corporibus fœminæ, vt sit superfluum quatuor digestionũ, vt secundum vnum modum distinguendi digestiones, sit prima digestio in stomaco, & superfluitates, quæ sunt feces, mittantur per vasa emissoria: Secunda sit in épate, & superfluum dirigitur ad renes, & ad vesicam: Tertia digestio fit in corde, & superflua, quæ sunt colera, & melinconia, diriguntur ad vesicam, & ad splenem; fleuma autem, secundum Aueroem in suo Colliberto, est sanguis indigestus: Quarta autem digestio, fit in extremitatibus venarum, vt non sit nisi quid ad transformandum inde membra.

Sanguis cibus mẽbrorum.

In

In viro ergo, ab ista quarta digestione, superfluum fuit sperma habens virtutem actiuam: in fœmina menstruum habens virtutẽ passiuam: Non sufficit ergo in viro sanguis ad generationẽ; sed oportet, quòd fiat sperma: in fœmina ergo sufficit sanguis, nec oportet, quod fiat sperma: Imo si fieret sperma, esset impedimentum iuuamenti generationis, quod facit fœmina; sanguis enim quantum est de se, habet virtutem passiuã, vt ex eo fiant membra, quia est cibus membrorum, & est illud, quod est habile conuerti in membra; ideo sanguis non est conueniens iuuamento generationis viri, quia vir in generatione, actiuè, & non passiuè iuuat; ideo huiusmodi sanguis in viris, tractus ad vasa seminaria, dealbatur ibi, & suscipit vim actiuam; ideo viri est habere sperma, quia eius est agere: sed iuuamentum fœminæ in generatione, est sanguis, quia est pati; cum enim sanguis sit illud, quod est valde proximum, vt inde formentur membra; mulier, cuius est præstare materiam, iuuat ad generationes exhibendo sanguinem. *Digestiones.*

Quæremus ergo à pluribus, si sperma fœmineũ est rectè iuuamentum generationis, vtrum huiusmodi sperma sic dealbatum, habeat aliquam virtutem actiuã, vel per illam dealbationẽ nihil actualitatis suscipit, sed solum passibilitatis: quo posito, tunc testes fœminei, qui dicũtur esse primi in fœmina generationis spermatis, non essẽt nisi sicut mammillæ; Nam lac in mammillis, nõ est nisi menstruum dealbatum, quia idem est materia, & nutrimẽtum; vt menstruum, quod est materia pueri, delatum ad mãmillas, & ibi dealbatur, fit cibus, & nutrimentum: ponere ergo quod sperma fœmineum est tale quid, est ponere ipsum esse, vel posse esse nutrimentum proprium membrorum, quod falsum est; quia membra non nutriuntur tali spermate, sed sanguine; quod si non sic est, sed ipsi spermati etiam acquiritur aliqua virtus actiua; quia quod est benè actiuum, est malè passiuum, ex hoc præstabitur impedimentum ad generationẽ, quod tale sperma sit in materia, vel quod passiuum componitur ad actiuum; sperma ergo fœmineum, non potest facere ad generationem tanquam agens, propter rationes superius tactas, sed tanquam patiens, quia huiusmodi passiuum, quod est in proxima dispositione, quod materia fiant membra, est sanguis non sperma.

Tertia via ad hoc idem sumitur per comparationem ad nutrimentum, quod naturaliter conuenit materiæ: Nam secundum Auctorem idem est materia totius, & partis; id ergo quod est nutri-

nutrimentum membrorũ; propter quod nutriunt etiã partes, illud est etiam materia totius, de quo generatur fœtus; illud autem est sanguis non sperma: membra autem (vt iam pluries diximus) non nutriuntur spermate; sed sanguine; sic etiam, tanquã ex materia, fœtus, non generatur ex sperm̃ate, sed ex sanguine.

Quarta via ad hoc idem sumitur, prout huiusmodi sperma fœminarum, cõparatur ad sperma viri, & ad sanguinem: Nam quia huiusmodi sperma, nec est propriè sperma, sicut est sperma viri; imo est æquiuocè sperma, vt patet per Auicennã nono de Animalibus; ideo non est conueniens generationi tanquam habens virtutem actiuam; & quia etiam non est propriè menstruũ, non est conueniens generationi, tanquam habens virtutem passiuam: vnde Philosophus in xv. de Animalibus, ait, quòd sperma fœminæ non est conueniens generationi; & subdit de huiusmodi spermate, quod si fuerit sperma, non esset menstruum, & si non esset sperma; quasi dicat, quòd non est sperma, nec est menstruũ; ideò nec actiuè faciendo opera spermatis, vt inducendo formam; nec passiuè supplendo vicem menstrui, exhibendo se vt materiã, est conueniens generationi.

CAPVT IIII.

In quo soluuntur rationes superius tactæ, quòd sperma fœminæ sit conueniens generationi, tamquam habens virtutem actiuam.



Eſumemus ſuperiùs dicta, dicentes, quòd magna cura fuit naturæ de animalibus, & potissimè de perfectis, quorum nutrimentum voluit esse depuratum; dimissa ergo digestione stomachi, vbi superfluitates sunt fœces; & digestione epatis, vbi superfluitas est vrina; quia, vt dicit Auerroes in suo Colliberto, renes sunt membra deseruientia epati, quia trahunt aquositatem, quæ est in sanguine generato per virtutem epatis, & vesica fuit ordi-

nata

nata ad attrahendum superfluitatem aquosam à renibus: dimissa ergo digestione epatis, cuius superfluitas est aquosa tendens ad renes, & vesicam; quæ communi nomine dicitur vrina, quia à renibus deriuatur: loquamur de digestione cordis; dicemus autem cum Aueroe, in suo Collibeto, quòd postremum nutrimentum est in corde; & in ipso est prima virtus nutritiua. Credidit autem Galenus, quòd epar esset princeps nutrimenti, vt idem Aueroes recitat, quòd non est verum; sed huiusmodi princeps est cor; quod sic declaratur; quia secundum Aueroem sanguis, qui est in venis, est perfectus; &, secundum eumdem, non est vehiculum spiritus, nisi sanguis arterialis; cor ergo est princeps virtutis nutritiuę; quia non est in corpore aliquod membrum, ad quod non veniant arteriæ cordis: Deseruit ergo epar cordi, præparando sibi nutrimentum, sicut stomacus deseruit epati: Sicut ergo in nutrimento principalius est epar, quam stomacus; sic principalius est cor, quam epar: & sicut, quod dat stomacus non est purum; sed depuratur virtute epatis, & superfluitates emittuntur ad renes, & vesicam; sic, quod dat epar, non esset purum, nisi depuraretur virtute cordis, & superfluitates mitterẽtur ad vesicam fellis, & splenem; vt isto modo se habeat sanguis depuratus virtute cordis, ad sanguinem depuratum virtute epatis; sicut se habet vinum ad mustum; vt si ex musto debeat fieri vinum, oportet ibi duas superfluitates dare, videlicèt, spumam, quæ mittitur per os dolij; & feces, quę resident in fundo dolij: sic quia sanguis virtute epatis est imperfectus, & impurus; si debeat virtute cordis depurari, erunt ibi duæ superfluitates; vna quasi spuma, quæ dicitur colera, quæ transmittitur ad vesicam fellis quasi ad receptaculũ eius; & alia, quæ se habet quasi fex, & est melancolia, & transmittitur ad splenem quasi ad domicilium eius: Splen ergo, & bursa fellis dicuntur deseruientia epati, & etiã cordi; epati quidẽ, quia sanguis consideratus solùm secundũ dispositionẽ epatis est imperfectus, & impurus; & est quasi mustum, cuius superfluitates vadunt ad vesicam fellis, & ad splenem; Cordi verò, inquantum virtute cordis, fit talis digestio, & inde dictum est, quòd in corde fit vltimum nutrimentum; quia tunc est vltimum nutrimentum, quando mox sunt inde omnes superfluitates, non solùm fœtidę, quæ mittuntur per vasa emissoria, nec solùm aquosę, quæ mittuntur ad renes, & vesicam, sed etiam melanconicę, & colericę, quæ mittuntur ad splenem, & vesicam fellis.

Superfluitates.

Ideo

Splen e- par.

Ideo dicit Aucróes in ſuo Collibeto ; quod ſplen facta eſt ad attrahendum ſuperfluitates multas ; & burſa fellis ordinata eſt ad attrahendum ſuperfluitates colericas ; ideo iſtę duæ ſuperfluitates non poſſunt eſſe nutrimentum membrorum ; fleuma tamen aliquo modo poteſt; quia non eſt niſi ſanguis indigeſtus, vt vult Aueroes in ſuo Collibeto; licet ergo ſanguis eſt in epate, vel ab epate dicatur eſſe nutrimentum membrorum ; attamen huiuſmodi ſanguis epatis , non eſt actu nutrimentum, niſi ab eo ſeparentur ſuperfluitates , quæ ſunt fleuma , & malanconia , quod fit virtute cordis : hinc ergo oportet accipere fundamentum, quòd huiuſmodi ſanguis eſt cibus membrorum: ex huiuſmodi ſanguine fit menſtruum in feminis : ex huiuſmodi ſanguine fit ſperma in viris; cui ſanguini, ſi præter digeſtionem ſtomaci, & epatis, & cordis, dabimus digeſtionem, quartam inueniemus; illa modica eſt ſecundum Aueroem; & vt de digeſtionibus loquamur clariùs, dicamus ; quòd prætermiſſa digeſtione oris , vbi eſt aliquo modo digeſtio, vt Aueroes ſecundo ſuo Collibeto in cap. de iuuamentis oris dicit; diſtinguens poſtea tres digeſtiones, & quartã; & dicuntur tres, & dicuntur quatuor; dicit enim Aueroes ſecundo ſui Collibeto in capitulis de iuuamentis epatis, & ſplenis, reprehendens Galenum , qui putauit, quòd epar eſſet penitus princeps in nutritiua virtute : Sed, vt dicit ipſe, neſciuit quòd poſtremũ nutrimentum eſt in corde; ſecundum hoc ergo, erunt tres digeſtiones, etiam præter digeſtiones oris, & dentium: vna in ſtomaco , cuius ſuperfluitates ſunt feces: alia in epate, cuius ſuperfluitas eſt vrina: Tertia in corde, cuius ſuperfluitates, ſunt colera, & meleneonia: fleuma autem non ſimpliciter reputatur ſuperfluitas; ſed eſt idem, quod ſanguis, deficiens ab eo ſecundum cocctionem , & digeſtionem; quia eſt ſanguis indigeſtus: ſed ipſe idem Aueroes, qui in capitulo præaſſignato, ponit poſtremum nutrimentum, & vltimam digeſtionem in corde, in eodem ſecundo ſui Collibeto in capitulis de iuuamentis veſicę , diſtinguit aliter tres digeſtiones , vnam in ſtomaco, aliam in epate, & tertiam in omnibus membris: & ſicut dupliciter dicitur deſcriptę tres digeſtiones ; ſic & dupliciter deſcribi poſſunt, quatuor, etiam præter digeſtionem oris ; vt ſit vnus modus ſuperius traditus, videlicet, quòd primo digeſtio in ſtomaco, ſecundo in epate, tertio in corde, quarto in extremitatibus venarum : poſſunt etiam alio modo aſſignari hæ quatuor digeſtiones, videlicet, vt tres ſunt, ſtomaci, epatis, & cordis, quarta ſit

ta sit in omnibus membris: & vt ad istam ad concordiam reducatur, dicemus, quòd digestio in extremitatibus venarum, & in membris, vel potest computari vna, & eadem; quia modicum differt hæc ab illa; vel etiam potest non numerari; quia valde modica est talis digestio; quia modicum est ibi de superfluitate; est enim ibi forte pro superfluitate sudor, vel aliquid tale modicum, vel leue, loquendo de superfluitate simpliciter: Nam, & si sperma est quid superfluum talis digestionis; non est superfluum simpliciter; quia, & si est superfluum individuo, non est superfluum speciei: sic & digestio cordis, potest accipi pro eadem cum digestione epatis; Nam huiusmodi digestio cordis, dupliciter potest poni, vel quòd in ipso corde fiat digestio tãquam in proprio subiecto; & tunc superfluitates talis digestionis, quæ est colera cum melenconia, remittentur ad epar; quia splen, vbi est receptaculũ melenconię, non habet nisi duos meatus; vnus est continens epati; & alius cum epate stomaco, vt dicit Aueroes in secundo sub collibeto capitulis de iuuamentis splenis; talis ergo superfluitas si ibit à corde, ad splen, ibit per epar; Sicut etiam fel, vbi est bursa colerę, epati adhęret: Erit ergo hoc modo cordis, & epatis aliquo modo vna digestio, dato quòd talis digestio fiat in corde, tanquã in proprio subiecto; quia superfluitates huiusmodi digestionis ad epar reuertentur, vt tendant in astam fellis, & in splenem: Alio modo potest distingui digestio cordis, & epatis, vt quod nulla fiat digestio in corde subiectiuè, & materialiter; sed solũm virtualiter; sed tunc dicemus, quòd digestio epatis est quasi duplex; vna ex quo eijcitur superfluitas vrinæ; alia verò secundum quàm tamquam superfluitas, est colera cum melenconia:

Primam quidem digestionem, agit magis epar, vt epar; secundam verò magis, vt est organum cordis, & in virtute cordis, vt & huiusmodi digestio, saltem virtualiter, in corde fieri censeatur; qualitercumque autem dicatur, potest aliquo modo dici vna; & aliquo modo diuersa hæc, & illa digestio; cum vnitatem, & diuersitatem habeant ad inuicem: itaque si digestio in extremitatibus venarum, & in membris propter rationem prætactam, non numeraretur, erunt tres digestiones, stomaci, epatis, & cordis: Si verò cordis, & epatis computetur vna; venarum & membrorũ vna; erunt & tres, stomaci, epatis, vbi includitur digestio cordis; & membrorum, vbi includitur digestio facta in extremitatibus venarum: Si verò epatis, & cordis computentur duæ digestio-

nes; venarum autem & membrorum, propter modicam differentiam, computetur vna; erunt quatuor digestiones; ita quod iiij. digestio denominari poterit; & à neruis, & à membris, vt sunt tres digestiones, stomachi, epatis, & cordis, & iiij. dicatur esse in extremitatibus venarum, & in membris.

Possumus autem, & aliter assignare tres digestiones, etiam distinguendo digestiones epatis, à digestione cordis, vt dicatur, quòd digestio, quędam est comunis, quædam propria; digestio quidem, quæ est in omnibus membris, vel quæ per venas transit ad membra, est propria cuilibet membro; propter quod tria sunt simpliciter facientia ad digestionem communem, stomachus, epar, & cor: Isto ergo modo sunt tres digestiones, scilicet communes; & hoc modo digestio postrema est in corde, vt prima sit stomachi, secunda epatis, & tertia cordis.

Digestiones.

Potest etiam tertio verificari, quòd postrema digestio sit in corde, vt ibi postremum idem sonet, quod principale; quia primaria, & principalis causa, primò aduenit, & vltimò recedit, vt declarari habet in libro de causis; influentia enim primariò, & principale esse primò attingit ad effectum, quam influentia causarum secundarũ; & etiam vltimò dicitur secundare, vt sicut causa secunda habet causare post primã; ita in causando dicitur desistere ante primam; vt & prima causa anterioritatem habeat in attingendo, & posterioritatem desistendo: Sicut ergo anterioritas attribuitur esse principali; sic & posterioritas modo, quo diximus; principalitate esse est etiam attribuenda; vt & hoc modo dicatur in corde esse nutrimentum postremum; quia in ipso residet principalitas nutrimenti: Et istum vltimum exponendi modũ, multùm videtur sonare verba ipsius Auerroes in secundo sui Colliberi, in capitulo de iuuamentis epatis, & splenis, vbi dicit, quòd postremum nutrimentum est in corde; cuius causam assignans subdit, quòd in eo est prima virtus nutritiua, & ipse est princeps; vt ex hoc dicatur esse postremum nutrimentũ; quia ipse est princeps in nutriendo. Sed cum de re constat, non est curandum de verbis: Dicamus inquam, quòd qualitercunque distinguantur digestiones, superfluitas sanguis, qui est vltimus membrorum cibus, est materia spermatis in masculis, & menstruum in femininis: Iste ergo huiusmodi sanguis, aliter & aliter consideratus, est solùm passiuus formaliter, & est actiuus virtualiter.

Nutrimẽtum.

Prima enim facie, distinguntur res in passiuum, & actiuum; ipsum

ipſum aũt actiuum diſtinguitur in id,quod eſt tale formaliter,& in id,quod eſt tale virtualiter ; Cum enim huiuſmodi ſanguis manet ſub forma ſanguis, eſt quid paſſiuum, & eſt materia tantum; vel materia partium,cum inde nutriuntur membra;vel materia totius, cum inde generatur fętus; vt idem ſit materia partiũ, & totius : Si verò huiuſmodi ſanguis, ſit iam conuerſus in membra, tunc ex huiuſmodi conuerſione habet vim actiuam formaliter,vt poſſit ſibi aſſimilare paſſum formaliter;quia quando iam conuerſum eſt in membrum, habet diſpoſitionem membri, vt poſſit ſibi aſſimilare paſſum; ideo dicitur habere virtutem actiuã formaliter ; quia formaliter aſſimilat ſibi paſſum, conuertendo alimentum in ſe ipſum : Si aũt ex huiſmodi ſanguine fiat ſperma, tunc habet vim actiuam virtualiter; caro enim conuertit nutrimentum in carnem,& eſt ibi generatio formalis;ſperma autem non conuertit menſtruum in ſperma, ſed in fętum, & eſt ibi generatio virtualis.

Dicemus ergo, quod ille idem ſanguis, qui eſt proximus, vt cõuertatur in membrũ, & conuerſus in membra habet vim membrorum, ĩ quod à membris accipit vim membrorum formaliter; ita ille idem per vaſa genitalia, conuerſus in ſperma, habet vim membrorum virtualiter, vt agens in virtute animæ poſſit in ſanguine menſtruo organizare omnia membra, & ſic diſponere ipſum menſtruũ ad ſuſceptionem animæ: Sanguis ergo,vt eſt vltimus cibus, habet rationem ad omnia membra in fieri, & vt ſit omnia membra facere ; illud enim idem,quod eſt materia, & quod eſt tale quid fieri,illud idem accipiens formam,& virtutem aliquam eſt poſtea tale quid facere;vt illud idem,quod eſt materia ignis, & quod eſt ignem fieri, illud idem accipiens formam ignis, habet quod ſit ignem facere : Sanguis ergo ſecundum ſe eſt omnia membra fieri;conuerſus autem in membra eſt omnia membra facere formaliter;conuerſus in ſperma, eſt omnia membra facere virtualiter;fęmina ergo in generatione non dat omnia membra facere, nec formaliter, nec virtualiter; ſed ſolùm dat omnia membra fieri; ideo nec illud, quod iam conuerſum eſt in mẽbra mulieris,exhibetur per fœminam in generatione, vt fęmina det, quod eſt omnia membra facere formaliter;nec etiam ſanguinem conuerſum in ſperma, præbet fœmina in generatione, vt fęmina det illud, quod omnia membra facere virtualiter; ſolùm autem ſanguinem dat fęmina in generatione ; quia ſolum dat,

quod est omnia membra fieri, habet enim fœmina testes, & venas, & arterias, à quibus potest aliquis humor effluere, medius quasi inter aquam, & sperma; inutilis tamen generationi, actiuè, & passiuè, sicut & à vasis seminarijs hominis multoties effluit quidam humor medius, quasi inter aquam, & sperma, qui non est proprie sperma, nec per se generationi vtilis, vt sit in eo virtus generatiua actiua: nec etiam, vt se exhibeat in generatione, tanquã materia sanguini: ergo, vt in fœmina est, passiuus dicitur, & actiuus in masculo: est actiuus, & passiuus non eodẽ modo, est enim huiusmodi sanguis in fœmina, passiuus.

Primò videlicet, vt sit materia partium, prout inde nutriuntur partes, & membra ipsius mulieris. Et prout est materia totius, prout inde generatur fœtus; actiuus autem est vno modo, prout iã conuersus in membra, habet oppositionem membrorum. In masculo verò, huiusmodi sanguis est passiuus, vno modo, prout est materia partium, prout scilicet potest conuerti in partes corporis scilicet in membra. Sed non est passiuus huiusmodi sanguis, quod possit esse materia totius, & quod inde possit generari fœtus: & licet huiusmodi sanguis sit in homine passiuus vno modo, est tamen actiuus dupliciter, prout scilicet conuersus in membra, habet vim actiuam formaliter, & prout conuersus in sperma, habet vim actiuam virtualiter. Sicut ergo inconueniens esset ponere, quod sanguis in homine, posset esse dupliciter passiuus, vno modo tanquam materia partium, quod possit inde nutriri membra, & alio modo tanquam materia totius, quod possit inde generari fœtus; quia tunc superflueret fœmina: sic inconueniens est ponere, quod huiusmodi sanguis in fœmina sit dupliciter actiuus, vno modo tanquã conuersus in membra, quod habeat vim actiuam formaliter. Et alio modo tanquam conuersus in sperma, quod habeat vim actiuam virtualiter, quia tunc superflueret masculus: si enim masculus haberet menstruum superflueret fœmina: & si fœmina haberet sperma, superflueret masculus; nec enim de sanguine viri cedit in menstruum, quod possit idem generari; nec aliquid de sanguine fœminæ, conuertitur in sperma, quod habeat vim actiuam ad generationem: emittit enim aliquem humorem fœmina, quantumcunque cum impulsu, & delectatione, quod nec est menstruum, nec sperma, sed est medius inter aquam & sperma, vt per se sit generationi inutilis, sicut & à vasis virmultoties talis humor emittitur. Sed si dicatur, quod à viro nõ

emittitur talis humor cum impulsu, ideo est generationi inutilis; à fœmina autem emittitur cum impulsu, ideo potest esse ad generationem quid vtile: dicemus cum Philosopho xv. de Animalibus, quod natura fœminarum est debilis, & minoris caloris maribus: ideo non potest ad hoc deuenire, quod fiat ibi sperma vere, ideo ad hoc deuenit, quod fit ibi quidam humor maribus similis. *Humor cũ impulsu.*

Argumenta autem in oppositum, non est difficile soluere, nam cum dicitur, quod nullus appetitus est ad id, quod intendit reicere, & quia appetitus matricis est ad sperma, ideo &c. Dicemus quod principaliter appetitus matricis, non est propriè ad sperma suum, sed ad sperma viri. Vnde Auerroes in secundo sui Colliberto dicit, quod matrix vomit sperma suum & attrahit sperma viri, dato tamen quod haberet appetitũ ad sperma suum, non sequeretur ex hoc, quod non ejceret ipsum, quia multa appetunt aliquo propter aliquam vtilitatem, quæ peracta ejciunt illa, sicut in nono de Animalibus. Auicenna posuit exemplum de membris attrahentibus medicinas ad rectificandum suam complexionem, & ad dissoluendum materiam. Quo peracto, ejciunt membra huiusmodi materiam medicinalem. Sic etiam secundum eũdem Auicennã ibidem, epar, & venæ attrahunt aliquam aquositatem ad perficiendum suam complexionem, quam epar ejcit, cum non vlterius indiguerit ea. Immo matri non solum propriũ sperma, sed etiam sperma viri reicit, peracta vtilitate, vt postquã consumata est conceptio fœtus, quo facto, totum reicit. Si ergo fiat vis in hoc verbo; quia nihil appetit id quod postea vult reicere, patet quod peccat ratio in materia, quia recipit falsa: quod si fiat vis in hoc, quod in matrice est virtus actiua, quia appetit, & retinet per tempus aliquod, & si est in matrice fœmina virtus actiua multo magis est in eius spermate, dicemus quod in matrice, non est virtus actiua, quæ sit formatiua membrorum, sed talis virtus competit spermati masculi. Sed iuuamentum matricis est, vt sit locus generationis; spermati autem fœtus non hoc dabimus, quia nec est iuuamentum generationis tanquam locus, nec tanquam formatiuum membrorũ, cum non sit verũ sperma. *Sperma reiectum.*

Quod verbo secundo dicebatur ex parte organorum fœminæ, quia fœtus habet testes, dicemus, vt Auerroes dicit in suo Colliberto quod sicut etiam masculi habent mammillas, & tamen ad generationem non deseruiunt, quæ licet in fœminis deseruiant; habẽt tamen huiusmodi mammillæ masculi, aliquod iuuamentum (de

quo

quo iuuamento, non est nunc tractandum) sicut testes in fœmina, non deseruiunt directe ad generationem, licet in masculo deseruiant. Dicunt tamen huiusmodi testes in fęmina aliquod iuuamentum, de quo infra aliquid tangi poterit, cum tangetur de spęrmate fœminæ, ad quid possit esse vtile, si non est vtile generationi, nec tanquam habens virtutē actiuam, nec tanquā materia.

Quod autem obijciebatur tertio, & iiij. quod aliquando ex spermate fœminæ generatur in matricę humiditas illa viscosa, & quod huiusmodi matrix aliquando patitur suffucationem, & sanatur ex euacuatione; quod non esset, nisi esset ibi sperma inspissatum, dicemus quod potest ibi aliqua materia inspissata fieri ex caliditate matricis, vel ex aliquo alio accidente: sed nunquam in illa materia fiet formatio membrorum, vel organizatio materiæ sine spermate viri: nos aūt de tali virtute actiua loquimur, quæ sit formatiua membrorum, & dispositiua ad inductionem animæ: quia si aliter vellemus loqui de virtute actiua diceremus, quod sicut materia nnnquam est sic omnino nuda, sic nūquam est aliqua res, vel pars rei, quæ sit omnino virtute destituta; in passo enim non est virtus actiua ad id quod patitur, licet possit in eo esse virtus actiua ad aliquid aliud.

Quod vero addebatur videlicet ex parte somniorum dicemus, quod quantumcumque sperma in fęmina sic effundatur cum impulsu, & delectatione, ratione cuius potest fœminæ in somnis accidere delectatio, tamen propter debilitatem caloris in fęmina, quantum ad decoctionem seminis, nunquam ad hoc deuenit id quod eijcit fęmina, quod sit vnum sperma.

Quod vero vj. dicebatur ex parte vasorum spermatis, quod in fœmina sunt euolutiones venarum, & arteriæ, quasi vas spermatis, habet eandem difficultatem cum ratione iij. vt quia in fœmina sunt testes, dicemus ergo quod illę euolutiones venarum, & arteriæ, vsque ad hoc poterunt se extendere, quod faciant humorem medium inter aquam, & sperma, non autem quod faciāt verū sperma; nec quod sit ibi virtus aliqua formatiua membrorū.

Quod autem vij. dicebatur de similitudine fętus, quod aliquā-do assimilatur patri, aliquando matri, dicemus, hoc non esse sicut immaginabatur Galenus, quod concurrat ibi duplex sperma, tām matis, quām fœminæ, quorum vtrumque est actiuum: sed quia ex parte fœminæ concurrit menstruum, quod se habet, vt materia, & ex parte viri sperma, quod se habet tanquam dispo-

nens

nens ad formã'. Et quia materia aliquando resistit agenti, vt ipsum agens non possit omnino trahere ad suas conditiones ; aliquãdo vero agens omnino habet dominium super materiam, inde est, quod filius aliquando assimilatur patri ex dominio spermatis super menstruum ; aliquando matri, ex resistentia menstrui ad sperma, aliquando neutri, ex aliquo forte alio accedente.

CAPVT V.

In quo soluuntur rationes, quod sperma fœminæ in generatione se habeat vt materia.



Olutis rationibus probantibus, quod sperma fęminę habet virtutem actiuam, & facit ad inductionem formę, volumus soluere rationes, quod huiusmodi sperma se habet tamquam potentia passiua, & exhibet se loco materiæ. Sciendum ergo, quod agens naturale disponit materiam, & disponendo materiam, inducit formam; ita quod illud quod dicit Aueroes in de substantia orbis, de dimensionibus determinatis, & indeterminatis, quod dimensiones indeterminatæ prędecedunt inductionem formę, terminatæ sequuntur dici potest de omnibus accidentibus, videlicèt, quod accidentia incompleta prędecedunt formam substantialem in materia, completa sequuntur.

Hoc ergo ordine, agens inducit formam, quia primo disponit materiam inducendo accidentia propria, expoliando eam ab accidentibus alijs. In illo ergo instanti, in quo tanta facta est alteratio, & sic expoliata est materia ab accidentibus conuenientibus formæ passi, & inducta est ab accidentibus formæ agentis; huiusmodi materia expoliatur forma passi, & accidentibus contrarijs formæ agentis, & induitur forma agentis, & accidentibus conuenientibus illi formæ. Quæ duo, videlicèt, inductio formæ substantialiter, & accidentium secundum illam formam, licèt sint similiter tempore, non tamen sunt similiter natura. Immo prius intellectualiter, quod materia inducat formam substantialem,

quam

quam quod inducat accidentia perfecta ſecundum illam formam licèt enim aer prius caleſiat incompletè, quàm fiat ignis, ſimiliter tamen tempore fit ignis, & complete calidus: natura tamen prius intelligitur eſſe ignis, quàm completè calidus.

Forma ſubſtãtialis & accid:

Cum ergo per huiuſmodi accidentia fiat inductio ſubſtantialis formæ, vt aer, ex eo quod caleſit fit ignis. Nam quia idem agens dat accidentia, & formam, conueniens eſt, quod idem agens diſponit materiam, & inducit formam ſubſtantialem; niſi forte eſſet talis forma, quæ non niſi per creationem haberet eſſe, & de potentia materiæ duci non poſſet, quo poſito non eſſet inconueniẽs, quod vnum agens diſponeret materiam, & aliud induceret formam, ſicut patet in corpore humano, quod diſponitur, & organizatur per virtutem exiſtentem in ſemine viri, perficitur tamen per animam creatam à Deo: propter quod quotieſcumque duo talia agentia concurrunt, quorum vnum diſponit, alterum inducit formam; oportet vnum illorum agẽtium eſſe increatum: quia formam non eductam de potentia materiæ; ſed per creationem habentem eſſe, ſolus Deus poteſt producere, ſicut ſolius eius eſt, poſſe creare. Numquam ergo duo agentia creata, ſic ſe habebũt, quod vnum diſponat materiam, & aliud inducat formam, loquẽdo de diſpoſitione propinqua, & proxima, hoc ergo ſupponendum eſt ex parte agentis.

Ex parte autem materiæ, ſupponere poſſumus; quod ſufficiẽs materia omnium membrorum, etiam propinqua, ſit ſanguis. Nam ſecundum philoſophum in ij. de generatione, ex eiſdem nutrimur, & ſumus: ſecundum enim eundem ibidem, omnia quidem nutriuntur eiſdem, ex quibus ſunt. Cum ergo generatio ſit via in eſſe, ſi ex eadem materia animal nutritur & eſt, ex eadem materia generabitur, & nutrietur. Cum ergo vltimus cibus ſit ſanguis, vt patet per philoſophum in duodecimo de Animalib⁹ in pluribus locis; propinqua materia generationis animalis, eſt ſangũis, & quia omnia membra nutriuntur ex ſanguine, omnia membra erunt ex tali materia. Quieſcant ergo ponentes ſperma fœmineum eſſe per ſe cauſam, vel materialem, vel actiuam in generatione: cum habeamus ſufficientem materiam, ſanguinẽ menſtruum, & ſufficiens agens ſperma maſculinum.

Sanguis vltim⁹ cibus.

Deuiantes ergo à virtute in hac mã, vel hoc fuit qa nõ crediderunt ſanguinem eſſe ſufficientem materiam omnium membrorum, ideo ponebant etiam ſperma eſſe materiam membrorum

aliquo-

aliquorum. Sed cum dictum sit, omnia membra nutriri ex sanguine, frustra dubitatur, quod sanguis non possit esse omnium membrorum materiam: vel deuiauerunt, quia crediderunt, quod duplex agens etiam creatum requiratur ad generationē, quorum vnum disponent materiam, & aliud inducens formam. Ad quā sententiam trahi possent verba Galeni cum dicit, sperma fœmineum cibat se sanguine menstruo, & hoc modo se supponit actioni spermatis masculini; quod idem esset, ac si sperma fœminum disponeret menstruum, vt menstruum sic dispositum, posset suscipere actionem spermatis viri: secundum quem modum, sperma fœmineum ad generationē simile esset agens, & materia, sed huic sententiæ, obuiatur per dictum philosophi in nono methaph. superius assignatum, quod propinqua materia, non indiget nisi vno motore; materia autem remota, indiget pluribus motoribus, vt patuit in cupro, & terra ratione statue. Cum ergo sanguis sit valde propinqua materia factionis membrorum, quia est vltimus cibus eorum, non indigebit, nisi vno motore: nihil ergo ad generationem materialiter, vel effectiue operabitur sperma fœmineū: materialiter quidem non, quia propinqua huiusmodi materia, nō est sperma, sed sanguis. Sicut & membra non cibantur sperma te, sed sanguine, quia propinqua materia non indiget, nisi vno motore, ex quo est ibi sperma maris, superfluit omnis alius motor. Immò cum fœmina sufficienter det materiam, masculus per suum sperma, sufficienter dabit formam, vt non indigeamus alio motore, loquendo de motoribus creatis.

Aduertendum tamen quod cum dicimus, propinquam materiam indigere nisi vno motore, hæc vnitas non excludit ordinem motorum, vt si motor particularis agat in virtute cœli totum computabitur vnus motor, videlicet motor particularis, & cœlum prout in virtute eius agit particularis motor, vt secundum hoc sol, & homo generāt hominē, vt dicitur in secundo physicorom. Si quæreretur ergo, quomodo ex alimento fit fœtus, vt puta quomodo herba sit intellectus, dicemus quod hæc talis est materia remota, propter quod indiget motoribus pluribus, ideo requiritur huiusmodi herbam digeri in stomaco, & quod est ibi purum, transmitti ad epar: & actione epatis, & cordis, conuerti in sanguinem. Ex quo sanguine poterit generari intellectus.

Sed si quæratur, quomodo ex sanguine generatur intellectus, dicemus quod sanguis est materia propinqua fœtus; ideo non in-

diget nisi vno motore, videlicet spermate maris. In generatione itaque animalium perfectiorum, vna est materia, vt sanguis menstruus fœtus, & vnus motor, vt sperma maris; sperma autem fœminæ non est generationi conueniens.

Opposita autem his, non est difficile soluere. Cum ergo in præcedenti capitulo, solute sint rationes huiusmodi, ponentes sperma fœminæ esse conueniens generationi tãquam agens, volumus in hoc capitulo soluere rationes, asserentes huiusmodi sperma, esse generationi conueniens tanquam materiale principium. Quod ergo primo dicebatur, quod non sufficit sanguis, tanquam materia corporis animalis, propter inconuenientiam, quam habet ad membra; quia licet sanguis conueniat cum carne, & adipe, quia vtraque molle, & leue, non tamen conuenit cum neruis, venis, & ossibus. Sed sperma, ratione qua viscosum, & filosum, dicitur sic conuenire, vt viscositas, quia reddit ipsum terminabile proprio termino, facit ipsum conuenire cum ossibus, quæ sunt dura, & bene terminabilia termino proprio: filositas vero facit ipsum connenire cum neruis, & venis, quæ sunt quasi quædam fila per totum corpus extensa, dicemus autem ad satisfaciendũ huic rationi, quod in nono de Animalibus Auicenna dat multiplicem materiam respondendi.

Primo quidem dat differentiam inter materiam artificialium, & naturalium, siue inter agentia hoc, & illa; nam agens artificiale (secundum ipsum) sic inducit figuram, & lineamẽta, quod non dat coinplexionem naturalem. Sed agens naturale, sic inducit formam, quod etiam dat complexionem naturalem, & inducit accidentia competentia formæ, licẽt etgo sanguis menstruꝰ, de se non habeat duritiem, quam requirunt ossa; nec philositatẽ, quam requirunt nerui, & venæ, fit tamen hoc virtute spermatis maris: differentia est enim inter naturam, & artem secũdum Themistium, vt recitat commem. in duodecimo, quod ars agit in extremitatibus tantum; natura vero agit in corpore toto, profundat ergo se, & intrat naturalis actio; vbi actio artis, foris stat: actio ergo spermatis profundat se in menstruo, vt possit in ipsum inducere duritiem, philositatem, & cętera quæ requiruntur ad organizationem, vt possit formare, & organizare corpus, quod fit aptum stomaco per animam, rationem igitur hanc Galeni soluit Auicenna distinguendo inter artem, & naturam.

Actio seminis.

Soluit etiam hanc eamdem rationem Auicẽna instando; instat

autem

autem quadrupliciter, primò quidem, quia hęc adaptatio, non est conueniens omnibus membris. Secundò, quia est indifferens omnibus animalibus: tertiò, quia est conueniens omnibus humiditatibus alijs. Quarto, quia discordat à membrorum actionibus. Instantia ergo prima est ex insufficientia, nam si sic volumus adaptare, quod caro & adeps fiunt ex sanguine; quia vtrum quæ leue & molle; nerui & venæ ex spermate, quia hæc, & illa sunt viscosa, & philosa secundum Auicenna non poterimus assignare vnde fiant ossa. Quod si respõdetur, quod ratione viscositatis fiunt ossa, vt supra tangebatur, dici posset, quod valde est hæc adaptatio à remotis: opottet quidem dare non quid viscosum, sed quid durum, vnde ossa fiant; nam, & si est aliqua durities in sperma ratione viscositatis, illa quasi nulla est ratione duritiei ossium, ideo melius est dicere, vt supra dicebatur; quod sperma maris, cuius est, vel inducere, vel disponere ad animam, eius est complexionare materiam, & inducere duriciem, philositatẽ, & alia quæ in materia requirit anima, cum actio spermatis sit naturalis, cuius est non solum inducere formam, sed complexionare materiam.

Secunda instantia Auicennę contra rationẽ Galeni est ex indifferentia ad omnia animalia. Nam loquendo de Animalibus perfectis, quæ generantur ex spermate, omnium talium animaliũ sperma est filosum, & viscosum, ergo si hæc adaptatio sufficeret ad generationem membrorum, tunc ex quolibet spermate, possent fieri quilibet nerui, quælibet venæ, & quęlibet ossa: esset itaque confusio in genere animalium, quod nullus sanæ mentis diceret, melius est ergo, non attribuere hoc idoneitati, vel conuenientiæ materiæ, sed magis virtuti & actioni formæ. Vt dicam⁹, quod sperma maris agit in virtute animæ, ideo sic disponit, complexionat, & organizat menstruum, secundum quod requirit anima, in cuius virtute agit. Sed secundum commem. in primo de anima, membra leonis, & membra cerui, non differunt, nisi quia animæ differunt: membra enim sunt quasi organa animæ, per quę anima suas operationes exercet, sicut instrumenta sunt organa artium, sicut ergo diuerse artes requirunt diuersa instrumenta, sic diuersæ animæ diuersa membra. Sperma ergo, quod agit in virtutæ animæ cerui, sic organizat menstruũ vnde generatur ceruus, sicut requirit anima cerui, & sperma æqui, vt requirit anima æqui, & sic de Animalibus alijs: vt ergo non confundamus generationem animalium, non attribuamus hoc tali idoneitati mate-

Agere in virtute alterius.

riæ, ſecundum quam quaſi omnia animalia conueniunt, ſed virtuti ſpermatis agentis in virtute animę, ſm quam aĩalia differunt.

Tertia quidem inſtantia Auicennę eſt ex eo, quod hæc idoneitas conuenit humiditatibus alijs. Nam ſi ratione philoſitatis, & viſcoſitatis fierent nerui, & venæ, non ex ſanguine, ſed ex ſpermate, tunc cum muſcilago, & fleuma viſcoſum, habeant philoſitatem, & viſcoſitatem, poſſent ex eis fieri nerui, & venæ: melius eſt ergo attribuere materiale principium non ſpermati, ſed ſanguini, vt quia eſt nutrimentum omnium membrorum, vt ex hoc habeat idoneitatẽ, quod ex ipſo poſſint omnia membra fieri: virtutem autem actiuam, attribuere non ſpermati fęminæ ſed maris; vt vnius materiæ, ſit vnus motor, & maximè cum ſanguis ſit cibꝰ vltimus, & per conſequens ſit materia propinqua, non indigens niſi vno motore, loquendo de motoribus creatis, arguit ergo Auicenna, ab ipſa veritate coactus, quod ſufficiat ſanguis ad materiam fœtus, quamuis ipſe non ſimpliciter hoc ſentiat.

Quarta quidem inſtantia Auicennę eſt, quia hoc diſcordat, vel deuiat à membrorum actionibus; ſi enim ſperma fœminæ, eſſet materia fœtus, eo modo quo poſuit Galenus recurremus ad radicale principium, videlicet, ad venas, & arterias fęminas, ex quibus formatur huiuſmodi ſperma: & eſt hęc inſtantia, valde efficax, ad plus quam fuit opinatus Auicenna, vt per hanc, non ſolũ contra Galenum, ſed etiam contra omnes ponentes, quod ſperma fęmineum per ſe, & primo, neceſſario generationi requiritur obuiari poſſumus, dicemus, enim quod duplex eſt operatio membrorum, vna quam Auicenna vocat operationem fortiorem, ſecundum quam membra aliquid conuertunt ad ſe. Alia quidem eſt operatio, quam quidam vocant per occaſionem, ſecundum quam membra ſuperfluitates reijciunt: ſecundum quem modum, epar in virtute cordis generat coleram, & melenconiam; generãdo enim ſanguinem per ſe, & per operationem fortiorem, generat coleram, & melenconiam tamquam purgamenta ſanguinis; ſicut fortitudo viri, generat ſpumam, & fecem tamquam purgamenta viri. Si ergo arteriæ, & venæ in muliere generant ſperma, vel generant per operationem fortioré, & tunc conuerteret ſperma ad ſe, & cibarentur ſpermate, quod eſt falſum, vel genetarent ipſum per occaſionem, & eijcerent ipſam tamquam ſuperfluitatem reijciendam, & inutilem generationi: quocumque modo generentur in muliere, ſperma erit inutile generationi.

Sed contra hanc reſpondebitur, quia ſimiliter arguetur de

ſperma-

ſpermate hominis, ideo redibimus ad id quod ſuperius diximus, videlicet, quod in muliere, vel eſt omnia fieri, vel omnia facere formaliter, non eſt in ea omnia facere virtualiter, quia tunc ſuperfluerèt vir, ideo ſolum eam actionem dabimus, mulieri, quam damus comuniter membris, videlicet, quod quicquid conuertũt, vel conuertunt tanquam in aliquid, quo nutriuntur, vel tanquã in aliquid, quod reijciunt tanquam ſuperfluum, quod non eſt vtile generationi. Quicquid ergo dat mulier in generatione, dat tanquam aliquid, quo poſſunt nutriri membra, quia dat ſanguinem tantum; licèt cum illo ſanguine, trahantur multæ impuritates in vtiles ad nutrimentum, & ad generationem. Si ergo aliquid aliud vltra ſanguinem in fœmina conuenit ad generationẽ, illud eſt ſuperfluitas aliqua reijcienda, non per ſe ad generationẽ faciens, nec actiuæ, nec paſſiuæ, in viro autem, vbi eſt dare omnia facere virtualiter, dabimus alimentationis modum præter generare, quod eſt conuentibiliter ad ſe, & præter ſuperfluitates reijcere, vt ſi quæratur quomodo fit ſperma in viro.

Dicemus, quod virtus generatiua, principaliter eſt in corde, vt dicit Aueroes in ſecundo ſui Colliberi, ſed huic virtuti principali, deſeruiunt teſtes; ſicut & virtus ſenſitiua, principalius eſt in corde, cui deſeruit cerebrum, & virtus etiam nutritiua, pricipalius in corde, cui deſeruit epar. Ex hac autem adminiſtratione, quidã ponunt ſenſum comunẽ principalius in cerebro, & nutriẽdi principatũ, attribuunt epati, vt Aueroes impoſuit Galeno, & virtutẽ gñrandi, attribuetunt teſtibus, vt videtur ſentire Auicẽna in nono de Animalibus: attamen oĩa iſta, principaliter ſunt attribuenda cordi. Sanguis ergo, ſicut ab omnibus membris accipit, quod fiat omnia mẽbra formaliter, ſic conuerſum in ſperma, ab eo in quo eſt virtus generatiua, accipit quod ſit oĩa membra facere virtualiter, vt poſſit per virtutẽ ſuam organizare omnia mẽbra, præter ergo ſuperfluitates reijcere, & aliud in ſe conuertere, & facere tale aliquid formaliter eſt dare actionem in maſculo, quæ fit tale quid virtualiter: eius eſt ſperma, quod licèt dicatur ſuperfluum alimenti, ſiue ſuperfluum nutrimenti, non tamen eſt ſimpliciter ſuperfluum; quia & ſi eſt ſuperfluum indiuiduo, quia ſecundum quod huiuſmodi, non poteſt eſſe pars indiuidui, nec ſubeſt actioni, quæ aliquid conuertitur in membrum, & aſſimilatur ei formaliter: non eſt tamen ſuperfluum ſpeciei, quia ſubeſt actioni, quæ fit aliquid tale virtualiter, vt poſſit virtute ſua

Actio in generatione.

ſua aliud generare, & ſic ad conſeruationē ſpeciei facere. Sperma tamen fęminæ, quia non eſt in fęmina actio, quæ aliquid fiat tale virtualiter, ſe habet tanquam ſuperfluitas reijcienda, & eſt omnino quid ſuperfluum indiuiduo, & etiam ſpeciei.

Vtrum autem, & ſi non per cauſam per ſe, & directè, ſaltem per occaſionem faciat ad generationem huiuſmodi ſperma, infra dicetur. Rationem autem Galeni, de inſufficientia materiæ: & quod ſanguis non poſſit eſſe ſufficiens materia pueri, niſi concurrat ibi ſperma, ſoluit Auicenna diſtinguendo, & inſtantiam multiplicem inferendo, ſoluit, & triplicē aſſignando cauſam, dicens, quod niſi in prima generatione eſſet iſte ſanguis menſtruus materia creature, non eſſet poſtea iſte ſanguis cibus eiuſdem poſt quam natus eſt, vult ergo Auicenna, ab ipſa veritate coactus, quod id quod eſt cibus pueri poſtquam natus eſt, & illud ſimile ſit prima materia eius, vt ex eodem nutriatur, & ſit & quia nutrimentum membrorum pueri nati, non eſt ſperma ſed ſanguis, eſt & prima materia eius non ſperma, ſed ſanguis.

Et vt hoc adaptemus ad fęminam, dicemus quod idem ſanguis menſtruus attractus, & immiſſus ad matricem, fit materia pueri, qui attractus, vel immiſſus ad mammillas, dealbatur, & fit lac, & fit nutrimentum pueri: ita quod non eſt aliud lac, quam ſanguis menſtruus in mammillis dealbatus; eſt enim caro mammillarum ſpongioſa, & alba, vt poſſit recipere ſanguinem menſtruum, ac etiam, vt ibi dealbetur. Vnde huiuſmodi mammille, ad matricem quamdam colligatiuam habent; & inde eſt quod quando menſtrua, propter aliquam cauſam, non veniunt ad matricem, currunt ad mammillas, ſicut & in mulieribus lactantibus, quæ nō habent menſtrua; vel ſi habent, parum habent: ideo multe mulieres nunquam impregnantur dum lactant, quia ſanguis menſtruꝰ attractus à mammillis, non currit ad matricem, propter quod deficit ibi generationis materia: quæ omnia patere poſſunt per Aueroem ex ſecundo ſui Collibeti in capitulo de iuuamentis membrorum generatiuorum. Dicamus ergo, quod ſicut ſanguis eſt ſufficiens ad nutrimentum pueri, & non ſperma, quia numquam ad mammillas attrahitur ſperma, ſed ſanguis, ſic eſt huiuſmodi ſufficiens materia ſanguis pueri, vt numquam ſperma fęminæ, ſit huiuſmodi materia, ſed tantùm ſanguis.

Nutrimentum pueri.

Quod autem arguitur ſecundo de reſtauratione, & in reſtauratione, quod omnia membra poſſent reſtaurari. Si omnia eſſent

gene-

generata ex ſanguine, ſicut reſtaurantur adeps,& caro ex ſanguine, quod falſum eſt ; quia nerui, venæ, & oſſa non reſtaurantur. Dicemus quod ratione duriciei, iſta non reſtaurantur, vt vere ad continuitatem non redeant. Nam, & aliquæ venæ, & nerui capitis poſt abſciſionem ponuntur à multis propter ſui molliciem poſſe ad continuitatem redire, non ergo ratione qua nerui, & venæ; ſed ratione qua molles, & dure poſſunt hoc pati, vel non pati. Et quia, vt dictum eſt, ſperma poteſt complexionare mẽſtruum ſanguinem, & dare ei philoſiratem, & duriciem, ſecundum quod requirit organizatio corporis; reſtauratio, vel uon reſtauratio poterit contingere ex eadem materia, prout diuerſimode eſt complexionata,& organizata per virtutem agentis.

Quod autem iij. dicebatur, quod ſanguis menſtruus non ſit materia fętus, niſi dealbetur, quod competit ſpermati, dicemus, quod in ſuo primordio, fętus ponitur eſſe ſub forma lactis & poſtea ſub forma ſanguinis,& ſic deinceps, non tamen quælibet dealbatio arguit materiam fętus, ſed dealbatio illa, quæ fit in menſtruo à ſpermate viri ; non autem dealbatio illa, quæ fit in ſpermate fœminæ à neruis, & arterijs eius, vel à teſtibus eius : immò talis dealbatio, nec actiuè ad generationem facit, nec paſſiuè, vt eſt per habita manifeſtum.

Quod autem, & iiij. addebatur, quod ſperma fœminæ, eſt illud quod magis aſſimilatur ſpermati maris, quam menſtruum, ſi aliquid valeret argumentum hoc concluderet, quod huiuſmodi ſperma, eſſet magis quid actiuum quam menſtruum. Et quia ſi quod eſt magis quid actiuum, eſt minus quid paſſiuum, ſemper enim quod eſt plus actiuum, eſt minus paſſiuum, vt ignis eſt multum actiuum, & eſt modicum paſſiuum, & quod non eſt bene paſſiuum, non eſt bene conuenies materiæ: patet quod non poteſt eſſe conueniẽs materia huiuſmodi ſperma, ſicut menſtruum: neutro tamen modo eſt ad generationem vtile tale ſperma, nec actiuè, nec paſſiuè, vt patet per habita.

CAPVT VI.

Quod mulier impregnari poteſt ſine emiſſione ſpermatis.

PRobat autem Aueroes in ſecundo ſui Collibeti vij. rationibus, quod mulier impregnari poteſt abſque ſpermatizatione. Prima ratio ſumitur ex experimento. Secunda ex attractione matricis. Tertia ex vomitu eius. Qnarta ex neceſſitate viri. Quinta ex principalitate cordis. Sexta ex nutrimento membrorum. Septima, & vltima, ex eo quod ſperma fœminum, de ſe quædam ſuperfluitas eſt.

Prima via ſicut patet, multoties, quidem expertum eſt, quod aliquis non valens violare virginem, fęcundat eam, quod hoc modo contingit, ſperma fuſum extra matricem, caliditate matricis attractum, fœcundauit eam. Compertũ eſt enim quod aliquando incorrupta carne, per ſperma viri cõcepit, vt nos ipſi à fide dignis præcepimus: ſed antequam pareret, ſic concipiẽs, viro ſe ſuppoſuit ne in partu periclitaretur. Recitat idem Aueroes de quadã matrona fide digna, vicina eius de eius facto (vt ait) multum bene confidere poterat, quæ iurauit ſibi in anima ſua, quod impregnata fuerat ſubito in quodam balneo aquæ calide, in quo ſpermatizauerant mali homines, qui balneati fuerant ibidem: nõ eſt ergo neceſſaria emiſio ſpermatis in fęmina, ſed ſufficit ſperma maris tanquã agens, & menſtruum attractum virtute huius ſpermatis tanquam actionem recipiens, & loco materiæ, ſe exhibens.

Secunda via ad hoc idem ſumitur ex attractione matricis, dicit enim Aueroes ibidem, & recitat auctoritatem Anecdadis in libro quem fecit de ſpermate, quod matrix habet attrahere ſperma per propriam virtutem, quam habet à forma ſpecifica, ſiue à tota ſpecie: attractio ergo ſpermatis ad matricem, non eſt ſolum ad delectationem coitus, ſed etiam à virtute propria ipſius matricis, quam naturaliter habet. Si ergo ſine emiſſione ſpermatis pro-

Matrix. priè, poteſt matrix ſperma viri attrahere, cum & attractione huius ſpermatis poſſit fieri commixtio actiui, & paſſiui ſcilicet ſpermatis viri; & menſtrui, quia actionem coniunctam paſſiuo hoc

agit,

agit, illud patitur, vt vult philosophus in nono metaphisicorum, cum exactione agentis, & passione patientis habeat produci effectus, cum hoc possit esse sine emissione spermatis fœminæ, non est necessarium huiusmodi sperma: poterit tamen facere emissio talis spermatis ad idoneitatem, vel congruitatẽ generationis, non autem ad ineuitabilitatem, quod non posset aliter fieri generatio.

Tertia ratio ad hoc idem licet Aueroes quasi vltimo ponat eã, potest siue ex vomitu matricis, siue ex reiectione eius: dicit enim Aueroes quod matrix mulierum vomit sperma proprium à se, vt attrahat sperma viri ad se: si ergo sperma fœminæ, per se, & necessario, faceret ad generationem, non euomeret ipsum matrix, sicut enim tempore impregnationis, retinet sperma viri, quod se exhibet tanquam materia, sic retineret sperma proprium, si esset ad generationem necessarium, & non euomeret ipsum, vt attraheret sperma viri.

Arguatur ergo sic contra ponentes contrarium, vt si sperma fœminæ est necessarium ad generationem, vel hoc est tanquam retentum à matrice, vel tanquam aliquid necessarium ad attractionem spermatis maris: non primo modo, cum positum sit, quod matrix euomat ipsum, vt attrahat sperma viri: nec secundo modo, cum hoc competat matrici à propria virtute, quàm habet à sua forma specifica, & quod attrahat sperma viri: dicunt tamen aliqui experti, & magni in hac materia, quorum dictum non est omnino abijciendum, quod cum orificium matricis senserit proprium sperma, festinat ad suggendum ipsum, & cum ipso suggit sperma maris: propter quod videntur isti velle, sperma fœminæ necessarium esse, vt matrix valeat suggere sperma maris; sed hæc necessitas non est simpliciter, sed secundum idoneitatem, & aptitudinem quandam; non enim hoc est, vt nullo alio modo fieri possit, sed vt magis modo idoneo; & competentiori modo fiat. Nam, & Philosophus in nono de Animalibus vult, quod quando spermata ambo non conueniunt simul, non fit impregnatio: vnde ait, quod si vir ieiecerit sperma cito, & mulier tarde, prohibebit impregnationem, & Auicenna in nono de animalibus ait, quod impregnatio est, quando duo semina concurrunt simul, & subdit quod quando vnum anterioratur, aut posterioratur, non accidit impregnatio: & ait quod mares emmittentes sperma tarde, magis sunt generatiui, quia mulier cùm sit frigide complexionis, tarde eijcit sperma: ideo mares sperma, tarde eijcientes, co-

Sperma fœminæ quo modo necessarium.

muniter loquendo, magis hoc habent cęteris paribus, quod eorũ ſperma conueniat ſimul cum ſpermate fœminæ, ideo niſi aliud impediat, tales (ſecundum quod huiuſmodi) magis ſunt apti ad generandum: omnia autem huiuſmodi dicta, intelligenda ſunt ſecundum idoneitatem, vt dicatur, quod oportet duo ſpermata concurrere ad generationem, quia magis faciliter, & magis apto modo ſecundum talem concurſum, habet fieri generatio; non quod omnino ſit impoſſibile aliter eſſe, & quod omnino ſit neceſſarium ad generationem talis concurſus. Nam illi idem, qui dicũt, quod matrix proprium ſperma ſuggit, vt cum illo attrahat ſperma viri, dicunt quod mulieres experte in conceptu, & coitu, aſſerunt quod multotiens impregnatur mulier ſine delectatione tempore coitus, ſicut etiam impregnatur, quando habet in coitu delectationem.

Cum ergo emiſſio ſpermatis in muliere habeat delectationem annexam, ſi mulier impregnatur ſine delectatione coitus, impregnatur ſine emiſſione ſpermatis: immò compertum eſt, mulierẽ renitentem, nec delectationem habentem, nec ſperma emittentem, conceptionẽ ſuſcepiſſe, nec valet ſi quis diceret, poſt ſe contingere, ſperma fœminæ exiſtere iam decoctum, perfectum in illo genere iuxta cornua matricis, quod motum per virile ſemen, atque commixtum, cum eo ad generationem facit. Nam, & hoc ſine delectatione non fieret, & tamen dictum eſt, copertum eſſe fœminam ſine delectatione ſicut cum delectatione, impregnationem ſuſcipere. Impregnatur ergo mulier ſine delectatione, ſicut cum delectatione, vt quidam aiunt; quia vtroque modo poteſt fieri impregnatio: aptius tamen & vt plurimum fit cum delectatione: illi etiam dicunt, quod ſi matrix eſſet actractiua ſpermatis maris ſine ſpermate proprio, non eſſet neceſſe mulierem in generatione emittere ſperma, tamen dicunt hoc eſſe falſum, ſed vt patet per prædicta, ſimpliciter loquendo, quod poſſit matrix attrahere ſperma viri, non habet hoc à propriò ſpermate, ſed à forma ſpecifica, ſiue à tota ſpecie, fit autem commodius, & facilius, quod cum propriò ſpermate attrahat ſperma viri, non tamen eſt impoſſibile attrahere ſperma, ſine ſpermate propriò.

Sed ſic dicẽdo, falſificare videremur cõtra dictum Auerois dicentis quod matrix euomit proprium ſperma, vt attrahat ſperma viri, cum ad faciliorem, & magis idoneum tractum ſpermatis viri, faciat attractio proprij ſpermatis.

Dicemus

Dicemus ergo, quia vt plurimum eſt, quod vir prius emittit ſperma quã fęmina: poteſt tamen contingere, quod fęmina prius emittat quam vir quo facto, matrix ratione delectationis, attrahit ſperma proprium, propter quod ſicut aliquando contingit, quod ex aliquo accidente mulier ſimul abhortit, & concipit, vt etiam philoſophus dicit in x. de Animalibus; ita quod mulier per aborſum eijcit vnum ſperma, forte ratione alicuius corruptionis ibi exiſtentis, & recipit aliud; ſic poteſt contingere quod euomat proprium ſperma, quod prius attrahit, & euomẽdo attrahat aliud: propter quod ſatis oſtenditur, proprium ſperma non eſſe neceſſarium ad generationem tanquam materia propria, nec qualitercumque arguatur, cum poſſit contingere, quod in generatione fiat vomitus huius ſpermatis, propter quod, per ſe loquẽdo, ſine tali ſpermate eſſet generatio.

Quarta via ſumitur ex neceſſitate viri, ſi enim mulier non poſſet concipere ſine emiſſione ſpermatis, vel huiuſmodi ſperma faceret ad generationẽ per ſe, vel ad generationẽ per accidens: ſi per accidens contingeret, nõ eſſe, ſi per ſe, hoc enim intendimus probare, quod ſperma fęminæ per ſe, ad gñationem non faciat, nam cum hoc ſperma ſit aliquid diſtinctũ à menſtruo, & à ſpermate viri; ſed ſine tali ſpermate, nullo modo poſſit eſſe generatio, videretur per ſe ad gñationem facere, licèt hoc non eſſet ſicut materia tãtũ, quia huiuſmodi materia eſt menſtruũ: quia ſicut vltimus cibus eſt ſanguis, vt in multis locis Philoſophus inde animalibus narrat, ſic propria materia generationis, eſt ſanguis in habentibus ſanguinem. Si ergo ſperma fœminæ, per ſe faceret ad generationem, & non poſſet ſine tali ſpermate fieri conceptio, quia non poteſt ſe habere vt materia, haberet ſe vt agens, & haberet aliquã vim actiuam, & ſuperflueret maſculus, vt in ſuo Collibeto narrat Aueroes ne ergo ſuperfluat maſculus, non eſt omnino neceſſariũ tale ſperma.

Quinta via ſumitur ex principalitate cordis: & hæc via cum quarta facit rationem completam. Si enim huiuſmodi ſperma eſſet per ſe ordinatum ad generationem, & ſine ſpermate non eſſet generatio: vel hoc eſſet, quia daret formam, & tunc ſuperfluere-
Non eſt materia generat.
ret maſculus; vel quia ſe exhiberet, vt materia: quo poſito, dici non poſſet huiuſmodi ſperma ſic eſſe materiam, quod omnia membra formarentur ex eo; quia tunc vel formaretur ex menſtruo, quod nullus poſuit. Eſſet ergo ſecundum hanc ipotheſim,

quod aliqua membra formarentur ex menſtruo, aliqua ex huiuſmodi ſpermate, ſicut & Galenus poſuit: ſed ſecundum Auerroem in ſecundo ſui Collibeti, non eſt dicendum, quod ſperma mulieris aliqua membra faciat, quamuis membra ſint multa; quia illa ſunt vnum in vno principio, quod eſt cor. Cor. enim vt ait, eſt dator omnium membrorum in potentia, dicemus ergo, quod ſicut ſperma viri accipita corde; prout in eodem eſt virtus generatiua actiuè principaliter, quod ſit omnia membra facere, quamuis in hac operatione ei deſeruiant teſtes, ſic menſtruum in muliere, accipit à corde, prout in eo principaliter eſt virtus nutritiua, quod ſit omnia membra fieri, quamuis in hac operatione ei deſeruiat epar: in corde ergo principaliter eſt virtus generatiua, & in hac operatione in maribus deſeruiunt cordi teſtes. Sic etiam in corde, principalior eſt virtus nutritiua, & ad hanc operationē cordi, deſeruit epar: ita quod epar eſt organū cordis in nutriendo, teſtes in generando, cerebrum in ſentiendo, & ſpecialiter quantū ad ſenſum comunem. Sicut ergo ſperma maris à corde habet principaliter, quod ſit omnia membra facere, ſic menſtruum fœminæ habet principaliter à corde, quod ſit omnia membra fieri, ratione ergo vnius principalis principij, videlicet, cordis, tàm in maribus, quàm in fœminis, dabimus vnum aliquid, quod per ſe deſeruit generationi: ita quod, ſicut in vno homine, ſiuè mari, ſiuè fœmina, non eſt niſi vnum cor, quod principiat generationē, ita non eſt ibi niſi vnus humor, qui deſeruit generationi. Et quia in fœmina huiuſmodi humor eſt menſtruum, non igitur erit ſperma, dicamus ergo quod in maribus, eſt vnum aliquid, quod eſt omnia facere, vt ſperma, & in fœmina vnū aliquid, quod eſt omnia fieri, vt menſtruum: non ergo ſperma fœmineum, eſt conueniens generationi, nec ſicut agens; quia non eſt propriè ſperma, nec ſicut materia; quia non eſt propriè menſtruū. Et quia non eſt per ſe conueniens generationi, poterit ſine tali ſpermate fieri generatio.

In corde virtus principalis.

Sexta via ſumitur ex nutrimento membrorum, dicit enim Aueroes in ſecundo ſui Collibeti, quod dator nutrimenti, de neceſſitate debet eſſe dator materiæ, illud ergo quod eſt nutrimentum membrorum, eſt & materię, vt dicit idem Aueroes ibidem, impoſſibile eſt membra nutriri ſpermate, quod ſi eſſet poſſibile, ſufficientior eſſet ſanguis ad nutriendum, quàm ſperma. Si ergo ſine ſpermatis emiſſione non poſſit mulier impregnari, & ſi huiuſmodi

ſmodi ſperma per ſe faceret ad generationem, hoc eſſet quia in huiuſmodi generatione per ſe ſe habet, ſicut materia, quod falſum eſt, quia tunc per ſe ſe haberet, ſicut nutrimentū, & nutrirentur membra ex ſpermate; & quia per ſe non facit ad generationē, poterit ſine tali ſpermate fieri impregnatio. Aueroes tamen concludit hanc cōtrouerſiam, videlicet, quod huiuſmodi ſperma fęminæ, non ſit materia embrionis, quia poteſt fieri impregnatio ſine tali ſpermate; vnde ait quod etiam hoc teſtificatur, quod ſperma mulieris, non eſt materia embrionis, quia multe mulieres impregnantur abſque ſpermatizatione. Nos autem concludimus cōtrouerſam, videlicet quod tale ſperma nō eſt embrionis materia, ideo ſine eo poteſt fieri conceptio: nam non eſt inconueniens, aliqua duo ſic ſe habere, quod vnum inferat aliud, & è conuerſo.

Vltima via ad hoc idem ſumitur ex eo, quod ſperma fęmineū ſe habet, ſicut ſuperfluitas quędam, vnde Aueroes in ſecundo ſui Collibeti dicit manifeſtum eſt, quod ſperma fęmineum ſit, ſicut humiditas aquoſa, ſimili ſuperfluitati vrinæ, & idem ibidem ait, quod ſperma mulierum eſt ſuperfluitas quędam, diſcurrens propter delectationem, ſicut diſcurrit ſaliua ex ore; & quia ſine eo quod ſe habet ſicut ſuperfluitas ſimile ſpermati vrinæ, poteſt fieri generatio, conſequens eſt quod ſine emiſſione ſpermatis, mulier poſſit impregnari: quod declarate volebamus.

CAPVT VII.

Ad quid deſeruiat ſperma mulieris, & quomodo ad generationem ſit vtile.

HAEC OMNIA Stendebatur in præcedentibus capitulis, quod ſperma fœminę, non facit ad generationem tanquam habens virtutem actiuam, nec tanquam materia: & quod plus eſt, quod etiam ſine emiſſione talis ſpermatis poteſt mulier impregnari, ideo

ideo merito dicitur quid faciat ad generationem tale ſperma, & quod iuuamentum habeat. Quo declarato, patebunt verba philoſophi, & etiam aliorum dicentium debere duplex ſperma concurrere ad generationem, quod intelligendum eſt vt diximus, nõ ſecundum neceſſitatem, quod nullo modo poſſet aliter eſſe, ſed ſecundum idoneitatem, quia facilius & magis modo idoneo habet, ſic eſſe generatio. Poſſumus autem aſſignare triplex iuuamentũ, quia huiuſmodi ſperma ad generationẽ faciat. Primum ſumitur ex temperamento ſpermatis viri. Secundum ex actione huiuſmodi ſpermatis. Tertium ex delectatione mulieris.

Prima via ſic patet, dicit enim Auicenna in iij. ſui Canonis, ſeu x x. quod duorum ſpermatum commixtio neceſſaria eſt, quia cum ſperma virile ſit groſſum, & calide complexionis: fœmineum vero ſperma ſit tenue, frigideque complexionis, huiuſmodi ſperma ſcilicet fœmineum contemperat groſſitiem, & calorem ſpermatis maris. Contingit enim multoties, quod mulier nõ poteſt impregnari, aut abortit cum impregnatur propter matricem, quia calefacit huiuſmodi ſperma, & de ſiccabit ipſum, vt Auicenna ait in nono de Animalibus: matrix ergo eſt calida, & ſperma viri calidum, & viſcoſum: ad contemperandum ergo huiuſmodi calorem, non ſolum ſpermatis viri, vt vult Auicenna in tertiò ſui Canonis, ſed etiam aliquando propter calidi-- tatem matricis, vt ſecundum eundem in x. de Animalibus, facit ad generationem ſperma fœmineum. Sed ex tali iuuamento, habetur non ſimpliciter quod poſſit fieri generatio ſine fœmineo ſpermate; quia poteſt contingere matricem habere calorem contemperatum, & ſperma viri habere tale contemperamentum caloris: ita quod ſine fœminæ ſpermate poſſit fieri generatio. Nam non ſolum matricem contingit aliquando eſſe temperatam, vt requirit generatio: ſed etiam contingit aliquando ipſam eſſe plus frigidam, quam generatio requirat, ſic etiam contigit de ſpermate maris.

Secundum iuuamentum ad hoc idem, ſumitur ex actione ſpermatis maris, nam cum ſperma maris poſitum ſit eſſe vere calidum, & viſcoſum, commixtum ſpermati fœminæ, lenificatur, vt leuius, vel facilius attrahatur à matrice: viſcoſum enim non linitum, difficilius attrahitur: linitum vero facilius, ſed hoc iuuamẽtum licèt poſſit facere ad facilitatem, non tamen inducit omnimodam neceſſitatem: quia non eſt tantę viſcoſitatis ſperma maris,

Iuuamentum ſperma-

maris, quod nullo modo possit attrahi à matrice sine spermate fœminæ ipsum enim sperma matis, non semper est eiusdem conditionis: de se enim aliquod sperma potest habere aliquam lenitionem, vt facilius attrahatur. *matis fœminæ.*

Est etiam in homine duplex homor, vnus spermaticus, qui emittitur cum magna delectatione,& magno impulsu, vt auctores tradunt: alius autem non spermaticus, qui emittitur sine impulsu, & sine delectatione, vel cum modica delectione:& vt plurimum, iste humor medius præcedit humorem spermatum: poterit ergo sperma per huiusmodi humorem prius emissum, aliquo modo liniri, vt facilius attrahatur à matrice, vt sic attractum, impregnari possit fęmina sine emissione proprij spermatis, dicam' ergo, quod sperma fœmineum, est superfluitas quędam non faciens per se ad generationem, nec actiuè, nec passiuè, nec sicut dans formam, nec sicut materiam. Et si attrahitur à matrice huiusmodi sperma, hoc est sicut aquositas quadam attrahitur ab epate, & venis propter vtilitatem aliquam, qua peracta expellitur huiusmodi aquositas. Sic & sperma fœmineum attrahitur à matrice fœminæ, cum sit superfluitas quędam propter vtilitatem aliquam, videlicet, vt facilius attrahatur sperma maris, vel propter vtilitatem aliquam aliam: qua peracta, semper per se loquendo reijceretur huiusmodi sperma. Si autem non reijcitur, hoc est per accidens, vt quia post receptionem spermatis viri intra clauditur matrix, vt nullum acumen corporis posset ibi intrare, vt dicit Auicenna iij. sui Canonis seu vigesimo primo.

Sic ergo dicemus de huiusmodi spermate fœmineo, peracta huiusmodi vtilitate; sicut dicimus esse de superfluo menstrui in matrice. Nam à tempore motus embrionis, dicitur lac in mammillis incipere fluere: quo posito secundum Auicennam in nono de Animalibus, sanguis menstruus diuiditur in iij. partes, ex vna quadem parte, vt ex subtiliori nutritur puer in vtero, alia pars tendit ad mammillas. Tertia quędem pars, est superfluitas quędam, quæ quiescit in vtero vsque ad tempus partus, quod totum accidit ex constrictione matricis, quę claudit se, ex desiderio quod habet retinendi sperma virile. Illud ergo idem iudicium, quod est de superfluitate menstrui, quod semper reijceretur à matrice, nisi constrictio matricis obsisteret, potest esse de spermate fœminæ, attracto cum spermate viri: qua peracta vtilitate reijceretur, nisi constrictio matricis obsisteret: & aliquando, vt su- *Superfluitas menstrui.*

perius

perius tangebatur, reijcitur, vt ſi contingat fœminam prius maſculo ſpermatizare, peracta quidem vtilitate, vt lenificata matrice, & aliqualiter contemperata per ſperma fœmineum, quod eſt aliquo modo humor medius inter aquam, & ſperma, contingit matricem euomere ſperma proprium, vt attrahat ſperma viri, vt ſupra oſtendimus auctoritate Aueroys in ſecundo ſui Colliberi.

Tertium iuuamentum ſpermatis fœminę, ſumi poteſt ex delectatione fœminæ, nam huiuſmodi ſperma cum hoc quod humectat matricem, quod faciendo facit ad generationem, habet etiam delectationem inducere. Dicemus enim cum Auicenna, quod in principio impregnationis, matrix debet eſſe humida, ſed poſt impregnationem debet eſſe ſicca; quia iuuatur impregnatio per ſiccitatem ergo ſperma fœmineum tempore coitus, impregnationē, quia humectat matricem, iuuat, etiam quia delectat: habet enim ſe in matrice ratione ſpermatis viri, ſicut ſe habet ſaliua hominis, ratione cibi. Sicut ergo ſaliua eſt aliquod iuuamentum ad guſtum, vt in cibo magis delectetur lingua, ſi fit debito modo moderata per ſaliuam, ſic in recipiendo ſperma maris, magis delectatur fęmina, ſi ſit modo debito moderata, & linita eius matrix per ſperma proprium. Et quia quanto delectabilius matrix recipit ſperma maris, dum tamen aliquid aliud non obſiſtat, magis videtur prompta ad concipiendum, ideo huiuſmodi delectatio iuuamentum ad conceptionem præſtat. Nam ex delectatione, videtur procedere quod poſt receptionem ſpermatis maris, matrix concipiendo ſic ſe conſtringit. Nam & Auicenna huiuſmodi receptionem attribuit amori, & deſiderio matricis ad ſperma, vt patet ex ſecundo ſui Canonis ſeu xx. Ex quo arguere poſſumus, quod ſi matrix delectabiliter recipiat, cęteris paribus, facilior fit impregnatio. Sed huiuſmodi iuuamentum ſi facit ad facilitatem, & idoneitatem impregnationis, non tamen arguit omnimodam neceſſitatem, vt quod penitus ſit impoſſibile, ſine tali delectatione conceptionē fieri, cum ſupra auctoritate doctorum firmarū fuerit, aliquando, mulieres ſine delectatione concipere.

Aſſignata ſunt ergo tria iuuamenta ſpermatis fęminæ ad generationem, videlicet, temperamentum matricis, linitionem, & humiditatem eius, & delectationem. Sicut delectatur lingua per ſaliuam in guſtando cibum; vnde & Auicēna in nono de Animalibus dicit, quod matrix tempore coitus, debet eſſe humida temperate, & eius humiditas eſt de genere humiditatis ſudorum,

aut

aut lachrymarum oculi, quando respiciunt solem, aut sicut salira hominis cum delectatur in cibo. Et quia ista humiditas, vt dicit, debet esse tempore coitus non post, quia impregnatio iuuatur per siccitatem, quo magis apparet verum esse, quod superius dicebatur, videlicet, quod matrix peracta vtilitate, quam sortitur ex proprio spermate, eijceret ipsum, nisi eius constrictio obsisteret, cum dictum sit, quod impregnatio iuuatur per siccitatem. Aduertendum autem quod hæc tertia causa, quæ dicta est de delectatione, dupliciter iuuat ad generationem.

Primo quidem quãtum ad appetitum naturalem, quia ad hoc facit, quod matrix naturaliter se constringat propter naturale desiderium, quod habet ad sperma maris, sine qua constrictione, non habet esse impregnatio. Secundo huiusmodi delectatio iuuat ad generationem, non solum propter appetitum animalem, quia facit quod fœmina appetat masculum: nisi enim natura tantã delectationem constituisset inconiunctione maris, & fœminæ forte periret generatio, quia pauci, vel nulli vellent se coniungere, cũ frequens couiunctio non solum in maribus, sed etiam in fœminis, senectutẽ acceleret, vt patet per philosophũ nono de Animalib⁹.

Aduertendum etiam, quod licet assignate sint tres causę iuuamenti spermatis fœminei, potest tamen assignari & causa quatuor videlicet impletio matricis. Dicit enim Auicenna iij. sui Canonis, seu x x. quod præter contemperationem, est aliud iuuamentum spermatis fœminæ quia sperma virile, eo quod recte feratur ad cornua matricis, non peruenit nec totum dilatatur, ideo necessarium est sperma fœmineum, (vt ait,) vt impleantur loca matricis, ad quæ virile sperma non accessit. Auicenna autem hoc iuuamentum ad hoc ordinat, vt ex huiusmodi spermate fiat coopertimentum fœtus, vnde ait, quod continuat se sperma virile cum fœmineo, vt ex eis simul operimentum fiat, quo inuoluatur fœtus: vult enim quod ex talibus faciliter in matrice cooperimentũ fœtus generetur, quemadmodum fit ex pasta, si supponatur cooperculum calidum, quia cito crustula fit. Quod dictum, calumniam habet, tamen quia sperma fœminæ est omnino quędam superfluitas, ex quo nec operimentũ fœtus, nec membra eius, nec aliquid aliud inde efficitur; sed habet ad generationem iuuamenta prædicta, tamen etiam, quia cooperimentum fœtus, & pellicula, embrionem inuoluens, non generatur ex caliditate matricis, sicut generatur panis in furno; sed ex virtute spermatis, matrix enim

Delectatio, & impletio matricis.

cooperatur ad generationem pueri, ſicut locus ad generationem locati, vt vult Aueroes in ſecundo ſui Colliberi, ſed virtus ſpermatis, quæ facit ad generationem membrorum, facit ad generationem pelliculę, qua circundatur fœtus, vt non euaporet, quod ibi continetur.

Ideo ex iſta impletione matricis, ad quam cooperatur ſperma fœmineum, poſſumus aliud iuuamentum accipere, vt dicamus cum Ariſtotele in nono de Animalibus, quod quędam mulieres, non impregnantur, niſi raro, & cum impregnantur eijciunt ſperma: qnod quidam doctores exponentes dicent, quod non impregnari fœminam, aliquando contingit ex debilitate matricis, aliquando ex nimio motu in delectatione viri, aliquando ex aliquo humore corrupto infuſo matrici. Secundum autem Auicennã in nono de Animalibus, mulieres poſſunt mouere ſperma in matrice de loco ad locum propter delectationẽ: ipſe ergo nimius motus, vt cum matrix mouet ſperma, nunc ad vnum locum, nũc ad alium, facit quod euaporet virtus ſpermatis, vt ex hoc impediatur impregnatio, attractio igitur ſpermatis fœminæ, vt repleantur loca, ad qua non attigit ſperma maris, aliquo modo præſtat impedimentum ne fiat talis motus in matrice, igitur ſi huiuſmodi motus impedit impregnationem, id per quod cauetur tale motus ad impregnandum facit: actractio itaque ſpermatis fœminæ replens matricem, & impediens ne ſperma maris de loco ad locum moueatur, ad impregnationem iuuamentum præſtat, poteſt ergo mulier ſine emiſſione ſpermatis concipere, attamen vt patet, emiſſio ſpermatis ſeu facit, vt magis apto modo, & magis faciliter concipiat, propter quattuor iuuamenta ad generationẽ, quę dicemus habere ſperma fœmineum: verba igitur philoſophi in de animalibus, quod oportet vtrumque ſperma concurrere ad generationem, & verba aliorum auctorum hoc dicentium exponenda ſunt, ſecundum idoneitatem, & facilitatem, & vt in pluribus, vt quia facilius fit conceptio illo modo, quam aliter, non autem exponenda ſunt ſecundum neceſſitatem, quod non poſſit aliter fieri.

Impregnationis impedimenta.

CAPVT

CAPVT VIII.

Ad quid deſeruiat ſperma viri in generatione, & quod ſolum ſe habet, vt dans formam, non vt pars conceptus, nec vt materia.

AVicenna in iij. ſui Canonis, ſeu xx. & etiam in ſuo libro de Animalibus, tàm ſperma fœminæ, quàm etiam ſperma maris, videtur attribuere materiæ; quod vtrumq; in materiam cedat, aliter tamen, & aliter, quia ſperma fœminæ, cedit in materiam, carens actiua virtute. Sperma quidem viri in materiam incedit, habens huiuſmodi virtutem. Secundum ipſum quidem, vtrumque ſperma generationem concurrit, & vtrumque ſperma cedit in ſubſtantiã fætus per virtutem actiuam, quæ eſt in ſpermate maris : vnde iij. ſui Canonis loco ſuperius aſſignato, dicit quod ſperma maris cõtinuat ſe ſpermati fœminæ, vt ex eis ſimul operimentum fiat, quo fœtus inuoluatur, & hoc per caliditatem matricis, quemadmodum fit cruſtula ſi ſuperponatur operimentum calidum: videtur ergo velle, quod ſicut ex paſta fit panis, ſi ponatur in loco calido, in quo pane prius generatur cruſtula ex calore loci, ſiue furni, in quo eſt poſita, ſic ex comixtione duorum ſpermatum fœminæ, videlicet, & maris, ſicut ex quadam paſta, fit fætus, vbi prius ex caliditate matricis, generatur quędam pellis quaſi cruſtula, vbi inuoluitur fœtus; ſicut ex paſta, & ex calore furni generatur quædam cruſtula, in qua inuoluitur panis, ſed vt diximus, hoc dictum falſum eſt, quia ponitur ſperma fœminæ eſſe materiam fætus, cum ſit ſolum quędam ſuperfluitas non conueniens generationi, nec tanquam materia, nec tanquam agens, falſum eſt etiam quia ponit ſperma viri, ſe habere vt materiam, & tranſire in ſubſtantiam fœtus.

Habet ſuum dictum tertiam falſitatem, quia vt dicebamus, poteſt ex calore matricis generari illa pellicula, in qua inuoluitus

fœtus, ſicut ex calore furni, generatur cruſtula, in qua inuoluitur panis: ſed ſi per hunc modum generaretur huiuſmodi pellis, ſicut inducitur cortex ex calore, tunc ſtomacus, & epar, qui per calorem agunt in maſſam cibi humidam, vt comuniter improbatur & bene, in ſuperiori parte cibi deberét inducere pellem, aut corticem durum, quod manifeſte probatur falſum eſſe: ſed vt impertinentia dimittamus, & vt loquamur ad propoſitum de ſperma maris, quod non in generatione dicitur materia fœtus.

Dicemus Auicennã ſimpliciter hoc ſenſiſſe, vt patet in nono de Animalibus, ait quod putauerunt homines, quod Ariſtoteles putauerit, quod ſperma viri non eſſet pars pueri, nam in mixtum cum materia pueri: ſed dicit hoc non fuiſſe ſuam ſententiam, nec ſuum conſilium: vbi plane innuit, ſperma viri fieri partem pueri, & pertinere ad materiam eius: videmus enim duo in puero formando, videlicet, ſpiritus, & membra, ſecundũ hoc videtur Auicennã velle, quod menſtruum mulierum ſit magis ſuſtentamentum membrorũm; ſperma autem viri ſuſtentamẽtum ſpirituum, cum idem in eodem xix. de Animalibus dicat, quod eſt ſperma viri materia ſpiritus in creatura, quia eſt multum ſubtile, & habile, vt tranſeat in ſpiritum. Sed cum mas, & fœmina habeant corpora diſtincta, & naturas diſtinctas, dignum eſt vt ſint cauſa, & principia modo diſtincto, itaque fœmina ſolum ſit patiens, & non agens, nec dans formam; & mas ſolum ſit agens, & non patiens, nec ſe habens vt materia. Si enim ſperma maris aliquo modo ingrederetur fœtum, & fieret pars eius, aliquo modo ſe haberet ſicut materia, & conueniret cum fœmina, & non omnino eſſet diſtinctum principium ab ea; & hoc videtur eſſe ſententia Philoſophi in xv. de Animalibus, dicentis quod in rebus habentibus virtutes diſtinctas, & corpora diſtincta, & naturas diuerſas, neceſſario diuerſificatur virtus operantis, & patientis. Et quia mas & fœmina ſunt huiuſmodi, ideo concludit ibidem, quod in generatione, vir ſe habet ſicut mouens, & operans, & fœmina ſicut patiens. Et ſubdit, quod ſperma fœminæ ideſt menſtruum, non conuenit cum generatione ſpermatis viri, conueniret autẽ ſi ſperma viri fieret pars pueri.

Poſſumus autẽ quinto vijs ſumptis ex diuerſis partibus in libr. de Animalibus, quod philoſophi declarauere, quod ſperma viri, non ingreditur fœtum, ſed ſolum ſe habet ſicut operans. Prima via ſumitur ex generali ratione actiuorum, & paſſiuorum, cum

quibus

quibus conueniunt mas, & fœmina. Secunda sumitur ex his, quibus in generatione assimilantur mas & fęmina. Tertia via ex modo causandi, & principiandi, quem habent mas & fęmina. Quarta ex distinctione, quam habent adinuicem mas, & fęmina. Quinta ex eo quod in generatione mas dat, & ex eo quod dat fęmina. Et quamuis omnes iste v. rationes quasi ex vna radice consurgant; bene tamen se habet, eas singulariter prosequi: de omnibus, ipsis philosophus in de Animalibus speciali-ter exequitur.

Sperma viri est agens

Prima via sic patet, hæc quidem est ratio actiui, & passiui, quod ratione eiusdem, non potest idem esse actiuum, & passiuú, quia quod est actiuum, secundum quod huiusmodi, est in actu, quod est passiuum est in potentia. Esset ergo idem ratione eiusdem actu & potentia, & per consequens simul esset & non esset, quia quod est actu est tale; vel virtualiter, vel formaliter. Quod autem est in potentia, non est, loquendo enim de potentia passiua, quod est sic in potentia, non est tale in actu, nec formaliter, nec virtualitar. Ponere ergo idem ratione eiusdem esse actiuum & passiuum, est implicare opposita: & est ponere idem esse, & non esse. Et idem est, quod probatur in secundo phisicoru materiam non coincidere cum alijs causis, quia aliæ causæ dicunt quid in actu, materia autem quid in potentia: & potissime non coincidit cum efficiente, cum illa sit principium vnde motus, & sit vt agens, hoc autē sit quid in potentia, & vt patiens. Si ergo sperma viri se habet vt operans, non se habebit, vt materia, nec vt pars fœtus, vnde & philosophus xv. de Animalibus postquam dixerat, quod vir se habet vt mouens, & operans, ait quod consequens est inquirere, & considerare in dispositione spermatis, quomodo sperma est causa generationis, aut sicut pars corporis, quando profundatur in materia, quæ inuenitur in fœmina aut non habet communicationem in corpore, aut non dat nisi virtutem, & motum, vbi si bene consideratur mens eius, apparet, quod sperma viri se habet, vt operans ergo nō efficitur pars corporis, sed solum est dans virtutē, & operationem, & motionem.

Assimilatio filiorum.

Secunda via sumit ex his, ꝗbus in gñone assimilantur mas, & fęia. Nam sic fit fętus, ex mare, & fęmina, sicut fit scānū ex carpentario, & ligno; vel sic fit fętus ex masculo in fęia, sicut fit sanitas in infirmo, ex scientia, medico, & vt patet per philosophū in xv. eodem. Cum ergo in constitutione scamni, lignum se habet, vt

materia,

materia, carpentarius autem, vt operans, & dans formam : sicut carpentarius, non est pars scamni, nec ingreditur substantiam scamni: & sicut figulus, non fit pars luti, sic nec sperma maris, fit pars corporis : sicut etiam nec scientia, in anima, fit pars rei artificialis, hoc est ergo quod ait philosophus, in xv. quod sperma viri, non fit pars concepti, sicut non dicitur, quod carpentarius, fit pars materiæ ligni, quoniam est figurator illius materiæ, per eius motum. Illud ergo quod figurat rem, non efficitur pars rei: quia ergo sperma maris habet figurare, & formare conceptum, non efficitur pars concepti. Similiter & in scientia, quæ est in anima, se habet, per quam efficitur pars operis.

Aduertendum autem quod philosophus assimilat sperma maris carpentario, siue figulo, & scientiæ in anima, sic etiam posset assimilari serre, & organo : nam si consideratur ipsum sperma in se, sic assimilatur serre & organo, quia sicut serra agens in virtute artis, inducit formam artis, sic sperma maris, agens in virtute animæ, inducit animam. Sperma ergo secundum se, se habet vt serra ratione artis, & vt instrumentum ratione animæ. Sed si consideretur pater, in cuius virtute agit, vt quia sperma se habet, quasi pater, & supplet vicem patris, sic assimilatur carpẽtario; vt sicut carpentarius format lignũ, sic sperma in virtute patris format menstruum. Sed si consideratur prout agit in virtute intelligentiæ mouentis cẹlum, sic assimilabitur scientiæ in anima, quia secundum Commem. in duodecimo natura non agit, nisi rememorata ex superioribus causis, quæ dicuntur intelligentiæ : qnæ omnia proueniunt ex vna arte principali, quæ est ipsius Dei, sub qua sunt multe artes, Deus ergo se habet sicut ars principalis, in cuius virtute agunt omnia : ideo dicitur in lib. Sap. de Deo, quod omnium est enim artifex, omnem habens virtutem, intelligentię autem mouentes orbem, se habent sicut artes, quæ sunt sub arte principali, videlicet, sub arte diuina, natura autem non agit, nisi rememorata ab istis causis, quia non agit nisi in virtute Dei, & intelligentiarum mouentium orbes, secundũ hunc itaque modum, prout virtus in spermate agit, non solum in virtute patris, sed intelligentiarum, & Dei, assimilatur virtuti artis, & dicitur forma inducta in menstruo fęminæ, in virtute spermatis maris, sicut inducitur sanitas in infirmo in virtute medicinalis artis : hæc autem ratio valde angit, quod sperma maris, non fiat pars fętus, quia non se habet qualitercumq; vt agens, sed opus eius videtur assi-

milari

milari operi artis. Cum ergo ars nullo modo fiat pars artificiati, non fiet huiusmodi sperma pars fętus.

Est enim diligenter aduertendum, quod spermatis virtus, non propriè assimilatur ei quod agit formaliter, sed ei quod agit virtualiter, vt ex hoc dicatur habere quādam excellentiorem rationem agentis, vel vt & hoc dicatur agere, vt organum, secundum quem modum agendi, etiam corporalia agunt in virtute intelligentiæ & Dei, quia sunt organa eorum. Si enim considerentur quę & quanta & quot diuersitates ossium, neruorum, & aliorum, quæ sunt in corpore animalis, quib⁹ operatur virtus formatiua in semine maris, obstupescet animus dubitans, vtrum creatura possit hoc facere: vnde philosophus, in xvi. de Animalibus, assimilat hanc virtutem, virtuti diuinę: Et Galenus, vt recitat Cōmem. in vij. methaph. dubitauit, an hæc virtus esset creator, vel non: vnde commem. loquens de hac virtute in vij. methaph. ait, quod hæc virtus generatiua, quàm vocamus virtutem formatiuam, dicitur à virtutibus naturalibus, quæ sunt in corporib⁹ animaliū, quia virtutes naturales, agunt per propria membra: hoc autem assimilatur intellectui, quem philosophus attribuit principijs diuinis, videtur enim agere modo separato à corpore, vnde & philosophus in xvi. de Animalibus, dicit quod corpus spermatis, cum quo exit spiritus, quæ est virtus principij animæ, est separata à corpore, & est res diuina, quæ omnia sic sunt intelligenda, quod quia talia facit ista virtus, quæ non videtur facere corpus; ideo necesse est, quod agat in virtute alicuius principij separati, & ex hoc mereatur dici res diuina modus itaque agendi, istius virtutis, qui sic agit modo alto, sufficienter arguit, quod nullo modo, fiat pars fętus, nec se habet, vt materia.

Tertia via ad hoc idem sumitur ex modo causandi, tàm maris, quàm fęminæ, dicit enim philosophus, in xv. de Animalibus circa principium, quod mas, & fęmina sunt principia generationis, & subdit, quod non dicitur mas, nisi quod generat in alio; non dicitur fœmina, nisi quod generat in se, hoc modo, ergo mas generat, quia est principiū generationis, quod fiat forma in alio: fęmina autem quod fiat forma in se, quod non est intelligendum de ipsa fęmina secundum se, quia ex ea, non fit forma secundum se, nec in ea fit anima, cum iam sit formata, & animata. Sed intelligendum est, de eo, quod præbet fęmina in generatione, vt de sanguine menstruo, fęmina ergo est principium generationis, *Virtus generatiua mirabilis.*

quod

quod fiat generatio, & forma in se; quia illud quod dat fęmina, sic se habet, vt suscipiat formam, & generationem in se, illud autē quod dat mas, sic est principium, quod facit formam & generationem in alio: & quia quod suscipit formam & generationem in se, se habet solum, vt materia, quod facit hoc non in se, sed in alio tantum, non se habet, vt materia, sed solum vt agens: sperma quod dat mās, non se habebit, vt materia, nec fiet pars fętus, sed solum se habebit vt agens, & vt operans respectu eius.

Quarta via sumitur ex distinctione, quam habent ad inuicem mas, & fœmina: vnde & philosophus, in xv. de Animalibus, dicit quod mas & fœmina diuersificantur, fm membra; nam in fęmina est matrix, in mare sunt testes, diuersificantur eorum aspectus quia fœmina lenis, mas irsutus; diuersificantur & voces quia fęmina habet vocem acutā, mas grauem, quæ ex principijs generationū videntur procedere. Nam fiat alteratio in huiusmodi principijs, vt si aliqui castrentur, fiet alteratio multa, quia alterabitur aspectus, quia non habebit barbam, multiplicabitur autem illa alteratio, quia habebit vocem exilem, & acutam, ita vt putetur, quod sit fœmina, castrati enim voce, & aspectu, videntur fœminæ. Cum ergo diuersitas principiorum generatiuorum in mare, & fœmina, tantam diuersitatem inducat in toto corpore, sufficienter arguere possumus, quod omnino diuersum modum principiandi, & causandi in generatione habent mas, & fęmina. Si ergo fęmina præbet in generatione materiam, quod præbebit mas, non poterit esse pars fętus, nec habere se poterit vt materia.

Fęmina dat materiam.

Quinta via ad hoc idem sumitur ex eo, quod in generatione mas dat, & ex eo quod dat fęmina: ait enim philosophus in xvj. de Animalibus, quod ista est differentia inter mas & fęmina, quia fęmina necessario dat corpus, mas autem non facit hoc; & subdit quod corpus, non est nisi ex fęmina, anima autem ex mare. Si ergo fęmina dat materiam, & mas formam, quia forma, nec est elementum, nec ex elementis, vt probatur circa finem septimi, consequens est, quod hoc, quod dat mas, non se habebit vt elementum, & materia, immo quia corpus (vt dictum est) non est nisi ex fęmina; quod dat mas, non est corpus, non pars corporis, sed est dans formam tantum. Cum ergo fętus ex duobus constet, ex materia scilicet, & forma, cum formam habeat à patre, materiam, à matre, duo erunt generationis principia, mas, & fęmina, quorum vnum est actiuum, nullo modo se habens, vt materia,

ria, aliud est passiuum, non valens inducere formam, sed solum est exhibens materiam.

Sed si sic dicemus, quod credimus benedictum, soluenda est Auicennę difficultas, volentis sperma maris fieri partem pueri, quia fit materia spiritus. Vt cum puer constet ex membris, & ex spiritibus, qui sunt in arterijs, & venis, in quorum virtute membra agunt: materiam membrorum, (secundum ipsum) exhibet fęmina, spiritum, mas: vt secundum hoc soluetur contrarie dictum, quod filius est ex substantia patris, & etiam matris, quia quantum ad membra, est ex substantia matris, quantum ad spiritum, ex substantia patris: ratio autem quæ mouere potuit Auicennã, hæc potissime potuit esse. Nam cum sperma sit spumosum, multum est ibi de spiritu, ita quod formaliter est ibi substãtia spirituum, non autem est ibi formaliter substantia membrorũ. Quod est ergo ibi formaliter, stabit formaliter, quod autem virtualiter, faciet hoc ex materia. Sperma ergo maris, quia est virtualiter membra, non poterit ex se facere membra, sed ea faciet ex materia sanguis menstrui: sed cum in se habeat formaliter spiritus, non oportet quod ibi generetur nouus spiritus, sed sufficit, quod ille, qui est sic cum spermate, cibetur ex eo, quod est subtilius in menstruo, & sic se ipsum augumentet, vnde & Auicenna, in nono de animalibus vult, non esse remotum à ratione, quod illud, quod est fortius, est materia spiritus, & quod est debilius, & fęminale membrorum materia, vult enim fortius esse materiam spiritus, quia sperma viri (secundum eum) fit huiusmodi materia, vel quod est fortius, fit forma spiritus, quia etiam in ipso mẽstruo, quid est fortius, fit cibus spermatis maris, quæ omnia sunt secundum adaptationem dicta.

Secundum veritatem autem, est aliter faciendum, cum enim ab vno membro, vt à corde, in quo est principaliter virtus generatiua, habeat sperma vim generandi, vt vult Auerroes in secundo sui Colliberi oportet quod vno modo habeat agere, vt quod solũ virtualiter sit sperma illud quod est fętus, nihil autem formaliter eius. Et si dicatur, quod ibi est spiritus formaliter, dicemus quod non ille spiritus, qui est pars fętus, vel qui cedit in materiam fętus. Sicut enim mas se habet, vt agens, sic spiritus, qui procedit ex mare, non fit pars fętus, sed solum se habet, vt agens in fœtu; quia fęmina se habet, vt patiens, & vt dans materiam, illud quod de menstruo resoluitur in spiritum, poterit esse pars fętus & se

habere, vt materia. Sicut enim debemus saluare generationem ex mare, & femina, quod non confundamus huius generationis principia, sed hæc quod est materiæ, attribuamus fœminæ, mari autem quod solum est agens, & operans, immò cum huiusmodi virtus spermatis, quæ est agens, & operans, sit quasi diuina, vt superius tangebatur, quod fiat materia, vel quod fiat pars fœtus, est valde dissonum rationi. Quod autem comuniter dicitur, filium esse de substantia patris, non potest habere hunc intellectũ, quod aliquid pertinens ad substantiam patris, fiat substantia filij; quia nec hoc modo filius est de substantia matris; nihil enim pertinens ad substantiam matris, fit substantia filij: illud enim de quo fit generatio, non est aliquid pertinens ad substantiam membri, quia non est aliquid iam cõuersum in membra, sed est superfluum alimenti: mulier ergo non generat filium de sua substantia, sed de superfluo alimenti, licet multoties tale superfluum, ad actum generationis concurrat, vnde fuissent membra refocillata, & cessisset in substantiam membri; propter quod ex hoc contingit homines debilitari, & macillentiores fieri, & ex nimio vsu, citius senescere, & celerius ad mortem ire.

Redeamus ergo ad propositum, & dicamus, quod filius esse dicitur de substantia patris, & de substantia matris; quia est filius substantiæ cum patre, & matre, & quia illam similem substantiã habet à patre, & matre: idem enim quod est similis substantię cum aliquo, & habet similem substantiam ab illo, potest dici esse de substantia eius, secundum quem modum loquendi, filius magis habet substantiam à patre, quam à matre. Nam à matre habet materiam, à patre formam: à matre corpus, à patre animam, vel secundum eductionem de potentia materiæ, vel saltem secundũ dispositionem: bruta enim animalia, à patre habent animam secundum eductionem, quia anima brutorum educitur de potentia materiæ, filij autem hominum à patre habent animam, non secundum eductionem, quia anima rationalis non est extra ducere, nec educitur de potentia materiæ; sed habent huiusmodi animam à patre secundum dispositionem, quia virtus in semine patris sufficienter disponit materiam ad huiusmodi animæ susceptionem.

Filius de substãtia patris.

Cum ergo substantia dicatur de materia, forma, ex composito, vt patet ex secundo de anima, & cum substantia compositi sit ex substantia materiæ, & ex substantia formæ, à quibuscumque res composita habet materiam, & formam, ab illis habet totam suam substan-

ſubſtantiam, filius carnalis quia habet materiam à matre, formam, à patre, totam ſuam ſubſtantiam dicitur habere, à patre, & matre. Et quia forma magis eſt ſubſtantia, quam materia, ſecundum hunc modum loquendi, vt dicamus: filius magis habet ſubſtantiam, à patre, quàm à matre.

CAPVT IX.

Quod ad generationẽ animalium, concurrit duplex ſpiritus, non organicus, & organicus, quorum vnus exit cum ſperma-te maris, alius generatur ex menſtruo fęminę.



Redidit quidem Auicenna, quod ille ſpiritus, qui eſt in ſemine, fieret pars pueri: ita quod ſperma virile fieret materia ſpiritus: ſed hoc vt apparebit, ſtare non poteſt; quia ſpiritus qui pertinet ad puerum, eſt ſpiritus organicus, agens per inſtrumentum corporale, & determinans ſibi proprium membrum. Spiritus autem qui eſt in ſpermate, poteſt dici quaſi ſpiritus non organicus, quia non determinat ſibi in fœtu aliquod determinatum membrum; ſed ipſius eſt fabricare, & formare quodcumque membrum.

Et vt magis appareant quæ diximus, accipiemus diffinitionem ſpiritus, datam à coſtabẽluce in libro de differentia ſpiritus, & animæ, vbi diffiniens ſpiritum dicit, quod ſpiritus eſt quoddam corpus ſubtile, quod in humano corpore oritur ex corde, & fertur in venis pulſus ad viuificandum corpus, hanelitum operatur, quia vita hanelitum atque pulſum habet. Et ſubdit, quod ſicut ſpiritus oritur in cerebro, in neruis, & operatur ſenſum atque motum; ſimiliter dicere poſſumus, quod ſpiritus oritur ex æpate in venis, & operatur nutrimentum membrorum, ſecundum illum

Spiritus. modum distinguendi, quod spiritus naturalis siue nutrimentalis, est in æpate, vitalis in corde, animalis siue sensibilis in cerebro, nō quin omnia ista principaliter sint in corde, sunt enim in corde dicto ventriculi, vt in lib. de differentia spiritus, & animæ dicitur in quorum vtroque continetur spiritus, & sanguis, sed in dextro, plus est de sanguine, quam de spiritu: in sinistro plus est spiritus quam sanguis, vt ibidem dicitur, posset autem in corde, & potissimum in animalibus magis distingui ventriculus tertius. Sed de hoc ad præsens non sit nobis cure, nec etiam sit nobis cure, vtrum in dextro ventriculo cordis sit plus de sanguine, & in sinistro plus de spiritu: sed sufficiat nunc inferre ex dictis, quod cor est origo, & fons cuiuscunque spiritus, siue sit spiritus naturalis, qui deseruit nutritioni, siue pulsatilis, qui deseruit vitæ, siue animalis, qui deseruit sensui: radix enim & origo omnium istorum est cor, in quo principaliter est virtus vitalis, nutritiua, & sensibilis, attamen quia virtutem nutritiuam comunicat cor epati, ita quod in nutriendo epar deseruit cordi, sensitiuam comunicat cerebro, ita quod cerebrum in sentiendo subseruit cordi: pulsatilem autem virtutem, quæ dicitur esse virtualiter, retinuit cor sibi: ideo dictum est, quod spiritus vitale est in corde, naturalis siue nutrimentalis in epate, animalis siue sensibilis in cerebro, hoc est ergo quod ait Aueroes in secundo sui Colliberi, quod cor non dat epati virtutem pulsatilem, quia venæ epatis, vt ait, non sunt pulsatiles: ideo subdit quod virtutes pulsatiles, sunt propriè in corde: & ista virtus est sua duratio, cor ergo, est radix, & origo spiritus, qui dicitur organizatus, & qui determinat sibi speciale membrum, in cuius virtute agit, videlicet, cor: qui spiritus organizatus agens in virtute cordis, diuiditur in spiritum naturalem, vitalem, & animalem, vel quod idem est, diuiditur in spiritum nutritiuum, vitalem, & sensitiuum.

Specialiter tamen, vitalis appropriatur cordi, quia virtus pulsatile est cordi propria, præter tamen hunc spiritum organicum, sic tripartitum in generatione animalium, oportet dare spiritum non organicum: nam huiusmodi spiritus organicus, non potest agere nisi in virtute cordis. Et ideo dicitur organizatus, quia est organum cordis, & determinat sibi speciale membrum scilicet cor, quod in actione præsupponit, sed spiritus, qui emittitur cum sperm ate maris, cum illud præcedat formationem cordis, in sua actione, non præsupponit cor. Nam priusquam formetur cor in

embrio-

embrione, habet esse huiusmodi spiritus, qui emittitur cum sperma te maris, cuius est cor, & cętera membra formare: ideo minus sapienter à quibusdam dictum est, quod prius generatur spiritus, & postea generatur cor, quod sit vas, & locus embrionis; vas enim & locus naturalis præcedit id cuius est vas, & locus, non autem è contra, vt si vas & locus embrionis est matrix, fatuum esset dicere, ꝙ natura prius faciat embrionē, & postea faciat matricem, quod sit vas & locus embrionis. Sic etiam si vinum tanquam locum proprium determinat sibi ventrem vitis, & corpora mineralia siue metalla, venas terræ, fatuum esset dicere, quod natura prius faciat vinū, quam vitis, vel corpora mineralia, quā venire. Certum est enim quod prior est spiritus, quā formatio cordis, sed non ille spiritus, qui tanquam proprium membrum, & tanquam vas determinat sibi cor.

In embrione ergo est duplex spiritus, vnus qui format membra, & alius cuius non est principaliter membra formare, sed eius est membris formatis, propriam operationem habere. Et istorū duorum spirituum, vnus emittitur cum sperma te patris; alius generatur ex menstruo matris; vnus format membra, & non cedit in materiam pueri, nec fuit pars pueri: alius format membra, & remanet pars pueri, eo modo quo spiritus est in animali, est pars animalis, spiritus ergo in sperma te, nullum sibi membrum determinat. Sed ex puriori menstruo embrionem causat, & ipsum perforando, in eo omnia membra format, vbi prius format, & figurat cor tanquam primum membrum: habet enim esse cor in animali, sicut fundamentum in domo, & sicut lignum tortum in naui: vt sicut in factione domus, prius fuit fundamentum, & postea aliè partes domus fundamento coadterminātur; & sicut prius in naui constituitur quoddam lignum tortuosum, & recurua tum, quod est quasi fundamentum nauis, & postea illi ligno, alia compaginantur: sic primum membrum, quod formatur in animali, est cor, vel aliquid loco cordis, & postea præter hoc membrum, formātur alia mēbra, iuxta illud philosophi, in xv. de animalib⁹.

Cor ergo est primum membrum in animalibus habentibus sanguinem, in alijs est conueniens ei i. in animalibus carentibus sanguine, principium membrum generatum, est aliquid conueniens cordi, siue aliquid loco cordis: spiritus itaque exiens cum sperma te maris, facit cor, & venas, & alia, & hæc faciendo, facit in eis spiritum, secundum, quod requirunt huiusmodi membra.

Cor

Cor ergo quod format ſpiritum ſpermatis, non eſt vas eius, nec clauſura eius vt Auicenna ſentit in de animalibus, quia ſi ſic eſſet, tunc huiuſmodi ſpiritus, ageret in virtute cordis, & actio ſua præſupponeret virtutem cordis, quod eſt contradicere ſenſui, cũ nulla cauſa præſupponat effectum ſuum: ſi enim ipſius ſpiritus emiſſus cum ſpermate, eſt omnia membra formare, cuius non eſt agere in virtute alicuius membri, nec ipſius clauſura eſt aliquod membrum, ſed huiuſmodi ſpiritus ſic emiſſus, format membra, in quibus aggenerat ſanguinem, & ſpiritum, & quęcunque requirunt huiuſmodi membra. Spiritus ergo huiuſmodi in membris aggeneratus, vel aggeneratus in corde, eſt ille cuius vas receptaculum, & clauſura eſt cor; & eſt ille qui agit in virtute cordis; & huius ſpiritus ſic aggeneratus, dicetur organizatus, quia determinat ſibi proprium membrum, vt cor, cuius poteſt dici organum: ipſum enim cor eſt organum animæ, & ipſæ ſpiritus aggeneratus in corde, poteſt dici organum cordis. Sed ante hunc ſpiritum ſic organicum aggeneratum in corde, eſt dare ſpiritum generantem cor, qui ſpiritus emittitur cum ſpermate, qui poteſt dici non organicus, quia non determinat ſibi aliud membrum, ſed eius eſt formare omnia membra, niſi forte dicetur huiuſmodi ſpiritus emiſſus cum ſpermate, agere in virtute, quia agit in virtute cordis patris, in quo principaliter erat virtus generatiua, licet illi virtuti deſeruiant teſtes, adeo vt Auicenna dicat, quod virtus informatiua, & generatiua completur in teſtibus; non quod talis virtus non ſit principaliter in corde, ſed dicitur compleri in teſtibus, quia in hoc teſtes cordi deſeruiunt.

Duplex ſpiritus.

Redeamus ergo, & dicamus, quod huiuſmodi ſpiritum emiſſum cum ſpermate, non reducemus ad aliud membrum generatum in embrione, nec dicemus aliquod tale membrum eſſe clauſuram huius ſpiritus, ſicut expreſſe ſenſit Auicenna, in de animalibus. Sed ſi reducemus talem ſpiritum in aliquod membrum, reducemus ipſum in cor patris, & in animam patris, in cuius virtute agit; non in cor pueri, vel in anima pueri, quæ habet cauſare, & efficere, qualitercumque ea cauſet ſiue formando, ſecundum quem modum cauſat cor, ſiue ſaltem materiam diſponendo, ſecundnm quem modum, cauſat etiam rationalem animã. Commendamus enim, & laudamus dictum Auicennæ in de animalib⁹, quod in formatione embrionis ſiue pueri, principium quod generatur eſt tela ſiue pellicula, quæ circundat, ſicut circundat in no-

Pellicula pueri.

uo,

uo, vt sit retinens, & vt sit custodia partium spermatis ne separétur, & vt claudatur intra huiusmodi telam valor caloris naturalis emissus cum spermate, intra quam telam, virtus spermatis maris, attrahens quod est purius in menstruo fœminæ, formet inde fœtũ, quod primo est quasi lac, postea sanguis, postea quasi coagulum, & fit quasi caro; vbi primo formatur cor, epar, & cerebrum, venæ, & arteriæ, in quibus virtute spiritus existentis in spermate, generatur spiritus, vitalis, naturalis, & animalis sm quod requirunt huiusmodi mẽbra: qui spiritus generatur ex eodem, ex quo genita sunt huiusmodi membra. Iste ergo spiritus sic aggeneratus in huiusmodi membris, à spiritu emisso cum spermate, quantum ad præsens spectat in tribus differt, videlicet, quantum ad materiam, quantum ad subiectum, & quantum ad operationé.

Quantum ad materiam quidem, quia huiusmodi spiritus efficitur de subtili materia menstrui: habet enim eandem materiam cum membris. Sicut ergo ex menstruo, generantur membra, sic ex eodem menstruo fit spiritus, qui generatur in mẽbris, propter quod nullum in conueniens, si spiritus sic generatus in membris, pertinet ad materiam, & dicitur esse pars pueri; quia efficitur ex eo, quod dat mulier, ad quam spectat administrare materiam. Sed spiritus emissus cum spermate, non habet pro materia menstruum, nec illud quod dat fœmina, sed accipit pro materia, superfluum alimenti in mare, prout est digestum in vasis seminarijs maris. Secundo differunt huiusmodi spiritus quantum ad subiectum, quia spiritus aggeneratus ex menstruo, qui pertinet ad materiam pueri, determinat sibi proprium vas, & proprium membrum in puero, in cuius virtute agit, videlicet, cor, propter quod cor pueri dicitur esse archa, locus, & clausura, & etiam subiectum huius spiritus generati in ipso: sed spiritus emissus cum spermate, in embrione, vel in puero, nullum determinat sibi speciale membrum, in cuius virtute agat, sed ipse penetrat formam embrionis, formando ibi mẽbra, venas, & arterias, musculos, neruos &c. quæ sunt in formanda, huiusmodi ergo spiritus dominatur toti materiæ, & non determinat sibi propriè aliquam partem materiæ, sed est in ipso sperm ate maris tãquam in subiecto, siue tanquam in suo vase, & receptaculo; in ipsis membris non in obiecto.

Tertia differentia est quantum ad operationem, quia vt dicebatur, spiritus emissus cum spermate, videlicet formare membra,

sed

ſed poſt aggeneratus in membris formatis, propriam operationem exercere nõ organizans illa membra, ſed magis hoc agit exiſtens organum illorum membrorum; eſt ergo ſpiritus præcedens membra, & eſt ſpiritus ſequens formationem membrorum, vt ſpiritus emiſſus à mare, præcedit formationem membrorum, & non efficitur pars generati: ſpiritus autem aggeneratus in membris, præſupponit formationem membrorum, ſaltem formationẽ cordis, & efficitur pars geniti. Nam & ſi tempore ſimul formatur cor, & ſpiritus in eo, natura tamen formatio cordis, præcedet formationem huius ſpiritus. Auicenna autem non aduertens hãc differentiam inter hunc ſpiritum & illum, ſed credens quod ſpiritus emiſſus cum ſperma te maris, efficeretur pars pueri, non conſiderans quod agens non coincidit in materia, dicit hunc ordinem eſſe in generatione embrionis, quod primo generatur ſpiritus, & quia de illo ſpiritu aggenerato multum eſt cure naturæ, ingeniauit natura prius gñonem huius ſpiritus facere cor, quod eſſet vas, & clauſura illius ſpiritus, in quo poſſit talis ſpiritus preſeruari aſſignans duplicem cauſam huiuſmodi ordinis, lenitatem & neceſſitatem: ſunt enim in operibus naturæ hæc duæ regulæ, & quaſi gñales, quod natura incipit à leuioribus, & neceſſitatibus, quod prius facit ea quæ ſunt leuiora, & quæ ſunt magis neceſſaria, niſi aliquid aliud abſiſtat & impediat, quia ſi aliquid obſiſteret, & impediret, & non poſſet ita congrue prius fieri magis neceſſaria, oporteret, quod prius fieret minus neceſſaria, & poſtea per hęc peruenire ad alia: vtroque autem modo probat in de animalibus, quod generatio ſpiritus præcedat generationem cordis, quia vt ait, generatio ſpiritus tanquam alicuius compacti eſt lenior generatione membri, quod eſt quidem magis compactum: prius ergo generatur ſpiritus in embrione, quam generetur cor [ſecundum ipſum] quod eſt quid ſic compactum, in prioritate itaque generationis ſpiritus, concurrit lenitas, quia lenitas vt ait, eſt ipſum generare, concurrit & neceſſitas, quia neceſſe eſt ſpiritum generare, vt creſcat ſecundum omnem partem, vt ſecundum huius crementum habeat eſſe vis & vigor, & iſta neceſſitas generationis ſpiritus, vt ait, eſt maior neceſſitate generationis membrorum, & ſaltem complectorum.

Prius ergo ſpiritus generatur, quam generẽtur mẽbra completa, quæ ſunt receptacula eius. Sed in his rationibus, eſt multum de apparentia, & parum de exiſtentia. Nam illud cuius vigore

mem-

membra crescunt, dilatantur,& formantur, est principaliter spiritus formans, & generans membra, emissus cum spermate maris; non spiritus formatus, & generãtus in membris, ex eodem menstruo, ex quo generatur membra: talem autem spiritum formantem membra, oportet præcedere omnia membra, sed spiritum formatum in membris, & agẽtem in virtute membrorum, præsupponit generationem ipsorum, in quorum virtute agit, in quibus tanquam in proprijs vasis, & receptaculis recipitur. Spiritus itaque emissus cum spermate; est magis necessarius ad formationem membrorum, quam ipsa membra; quia ab hoc spiritu dependẽt membra, & ab hoc spiritu formantur membra: sed spiritus formatus in membris, non est magis necessarius, secundum hunc modũ, quam ipsa membra. Nam quia huius spiritus agit in virtute membrorum, & quicquid agit, agit per membra, conueniens est, quod sint magis necessaria ipsa membra, quam sit huius spiritus.

Spiritus primogenitus.

Quod autem dicebatur ii. de leuitate, sic respondebimus de huius spiritu formato in membris respectu membrorũ, sicut responderemus de pariete respectu fundamenti, vt si quid argueret, quod leuius est facere parietem, quàm fundamentum, quia leuiores lapides ponuntur in pariete quam in fundamento, diceremus quod cum paries præsupponat fundamentum, & difficultas fundamenti præsupponatur à pariete, ita quod *institutio* parietis, simul cum difficultate fundamenti, superaddit *difficultatem* propriam, vt hoc modo difficilius sit constituere parietem: sic quia spiritus formatus in membris, præsupponit membra, generatio huius spiritus supra generationem membrorum, superaddit difficultatẽ propriam; vt secundum hunc modum, hæc sit difficilius illo: si ergo quæratur quid horum sit prius; aut spiritus, aut membra, dicemus quod est spiritus præcedens membra, & spiritus sequens: spiritus enim emissus cum spermate, præcedit formationem membrorum sed spiritus aggeneratus in membris ex menstruo, sequitur formationẽ membrorũ, & præsupponit huiusmodi mẽbra. Cor ergo in embrione, vel aliquid loco cordis, & si nõ tempore, saltem natura præcedit generationem spiritus: non spiritus existentis in spermate, sed aggeneratus in ipso.

Cor primũ membrorum.

Dicemus enim quod etiam in animalibus perfectis, cum formatur in matrice cor, prius habet esse imperfectum, & postea perfectum, quia modus iste est procedere de imperfecto ad per-

fectum, vt loquendo de vno, & eodem; quia procedit hoc modo de potentia ad actum, & sicut cor prius habet esse imperfectum, & postea perfectum, sic si ibi aggeneratur spiritus, prius imperfectus, & postea perfectus: ita quod imperfectum cor, præcedit, & est ante imperfectum spiritum; & perfectum cor ante perfectum spiritum, patet igitur, quod duplicem spiritum oportet esse in generatione animalis, vnum formantem membra, aliium formatum in membris, vnum emissum cum spermate maris; aliũ aggeneratum ex menstruo fœminæ, vnum non organicum, aliium organicum: vt dicatur spiritus emissus cum spermate maris non organicus; non quia non sit corpus, nec virtus in corpore; quia vt dicimus, nomine spiritus hic intelligimus aliquod corpus subtile actiuum, & virtuosum; sed dicitur talis spiritus non organicus, quia non determinat sibi in embrione aliquod spetiale organum, nec aliquod spetiale membrum, in cuius virtute agat; sed per totam embrionis materiam, tanquam agens, & operans, perforando, & penetrando fertur hinc inde, formando membra, & quæcumque alia prout requirit anima, in cuius virtute agit; vt si huiusmodi spiritus sit emissus cum spermate Cerui, si non impeditur ab operatione sua, sicut formabit embrionem, & taliter disponit ipsum, secundum quod requirit anima Cerui. Nam licet spiritus tanquam aliquid leue, habeat ferri sursum, tamẽ vt organum, & vt instrumentum animæ, sic fertur & sic operatur, secundum quod requirit anima, in cuius virtute agit, poterit igitur huiusmodi spiritus dici non organicus, prout est perhabita manifestum. Sed spiritus formatus in membris, poterit fieri spiritus organicus, vt est per habita declaratum.

CAPVT

CAPVT X.

Quod ſpiritus emiſſus cum ſperma-mate, poteſt dici quid ſeparatum, & quid diuinum.

COmmentator loquens de virtute formatiua in vij. methaph. dicit quod Ariſtoteles in lib. de Animalibus, vult huiuſmodi virtutes aſſimilari intellectui, in hoc quod agunt per inſtrumentum corporale; & ſubdit, quod in hoc differunt iſtę virtutes generantes, quas medici vocant formatiuas, à virtutibus naturalibus, quæ ſunt in corporibus, nō quia huiuſmodi virtutes naturales agūt per inſtrumenta terminata, & membra propria, virtus autem formatiua, non agit per membrum proprium. Et ait de huiuſmodi virtute informatiua, quod Ariſtoteles magnificauit hanc virtutem, & attribuit eam principijs diuinis, non naturalibus, quę verba Commentatoris inituntur verbis Philoſophi in xvi. de Animalibus differentis, quod cum corpore ſpermatis, exit ſpiritus, qui eſt virtus principij animæ, & eſt quid ſeparatum à corpore, & eſt res fere cęleſtis, tàm ergo ſecundum philoſophum, quàm ſecundum Commentat. ſpiritus qui exit cum ſpermate maris, in quo eſt virtus informatiua, ad aliquid ſeparatū pertinet: ſed cum huiuſmodi ſpiritus ſit corpus, non eſt facile videre, quomodo agat huiuſmodi ſpiritus, ac ſi eſſet intellectus, & quomodo dicatur quid ſeparatum. Si enim conſideremus actionem eius, quod tantam diſtinctionem facit in membris, & ſic ea ligat & ordinat, magis videtur agere per intellectum, quàm aliter.

Aſſignabimus autē vj. rationes, ſiue ſex vias, per quas declarabitur, quod virtus informatiua ſiue ſpiritus, in quo eſt huiuſmodi virtus, quid excelſum, & quid ſeparatum dici debet. Nam huiuſmodi ſpiritus poteſt ad vj. comparari, ſumentur, & vj. rationes, & vj. vię ad propoſitum. Superius enim tetigimus, quod virtus gñatiua, nutritiua, & vitalis, & cęteræ huiuſmodi virtutes, principaliter ſunt in corde: virtus ergo generatiua, quæ eſt in ſemine, ſiue in ſpermate maris, à corde, à quo traxit principaliter originem, haber quod operetur, & agat; ideo dicebatur ſupra,

quod si spiritus emissus cum spermate, agit in virtute alicuius membri, non est hoc in virtute membri embrionis, quem format, sed in virtute membri, maris, à quo exiuit, vt in virtute cordis, à quo vim formatiuam, siue generatiuam accepit. Et quia cordis est agere per spiritum, quod significat quia in vtroque ventriculo cordis, est sanguis, & spiritus, poterit huiusmodi spiritus emissus cum spermate, comparari ad cor, à quo virtutem accepit, ad spiritum, qui est in huiusmodi corde, ad modum agendi suum, ad actionem ipsam, ad rem actam, & ad animam patris, in cuius virtute agit; secundū quas vj. operationes, sumuntur, vel sumi possunt vj. rationes.

Prima quidem ratio, & prima via sic patet, nam huiusmodi spiritus emissus cum spermate, vim formatiuam quam habet à corde masculi cum eius spermate est emissus. Cum igitur agat vt organum, & sit quid separatum ab huius corpore, cuius dicitur esse organum; quia est separatum, à corde maris, ideo potest dici agere, vt quid separatum; hoc enim videtur esse de ratione organi, quod si agit, semper agat, vt agitatum, & motum, à principali agente: huiusmodi itaque spiritus, quia agit, vt separatum, à corpore, ideſt, à corde, cuius est organum, ideo videtur in hoc esse quædam res mirabilis, & quædam res magna, vt vtrumque de eo proferat Philosophus, quod sit quid separatum, & quod sit res diuina.

Agere, vt organum.

Videmus enim quod omnia membra corporis sic agunt in virtute cordis, quod secundum Aueroes, in secundo sui Colliberi quodam modo ad omnia membra huiusmodi contingunt arteriæ cordis, vt secundum hoc, omnia sint coniuncta cordi. Et si hoc est naturale, quod talem coniunctionem habeant ad cor, vt possint in virtute cordis agere, spiritus emissus cum spermate, quia agit in virtute cordis patris, omnino separatum ab huiusmodi corde, videtur in hoc quandam habere supernaturalitatem, vt ex eo quod est quid separatum, videatur esse res quædam mirabilis, & eleuata.

Secunda via, ad hoc idē sumpta, prout huiusmodi spiritus emissus cum spermate comparatur ad spiritum, per quem agit cor, vel etiam ad membra agentia in virtute cordis. Nam spiritus, per quem agit cor, non potest habere omnes actiones suas nisi diuidatur, ideſt nisi fiat vitalis, naturalis, & animalis. Nam in eo quod est vitalis, videtur esse proprius cordi; in eo quod est naturalis

ralis faciens ad nutrimentum, comunicatur epati: in eo quod animalis, cerebro, habet ergo huiuſmodi ſpiritus, trahens originẽ ex corde, actionẽ ſuam, non manens vnitus, ſed magis diuiſus, & quaſi tripartitus: ſed ſpiritus exiens cum ſpermate, vnitus manẽs, ideſt non diuiſus per naturalem, vitalem, & animalem, operationem ſibi debitam fortitur, vnde Auicenna in nono de Animalib⁹ à veritate coactus dicit, quod ſpiritus vitalis, animalis, & naturalis, non ſunt ſegregati in ſpermate, quia ſperma eſt homogenũ, & ſimul in ſuis partibus, & vt ſubdit, non eſt modus diuidendi ſpiritus in corpore conſimili: voluit ergo Auicenna, quod in ſpermate, iſti ſpiritus non ſunt ſegregati, nec habentes ſe in ſpermate modo diuiſiuo, ſed vnitiuo, & in hoc verum dicit, veruntamen quod credidit, quod huiuſmodi ſpiritus exiens cũ ſpermate, fieret materia illius ſpiritus, qui formatur in corde, qui poſtea tripartitur, & poteſt ſuo modo dici pars pueri, valde à veritate deuiauit, non diſcernens (vt diximus) inter agens, & materiam.

Spiritus naturalis, vital. & animalis.

Accipientes igitur ex verbis Auicennę, quod veritatis eſt ibi, & prout ad propoſitum ſpectat dicimus, quod magis agit vnitiue ſpiritus, qui exit cum ſpermate, quàm ſpiritus qui eſt in corde. Et quia hoc eſt agere modo diuino, agere modo vnitiuo, & hoc modo eſt agere quaſi ſupra corpus, ideo huic ſpiritui eſſe quid ſeparatum, & quid ferè diuinum attribuere poſſumus. Sic enim immaginamur, quod omnia quæ ſunt in Deo, ſunt vnum, quia ſunt ipſa diuina eſſentia: veruntamen quod Deus habet vno modo, continens omnem virtutem; hæc habent inferiores intelligẽtiæ in eſſe diuiſim habẽtes virtutes, nõ ita vniuerſales, nec vnitas: corpora vero habent virtutes omnino participatas, ſecundũ quod eſſe, & formam particulatam habent, itaque agere vnitiue, eſt quodammodo tranſcendere corpus, & eſt quodammodo accedere ad diuinum modum: & quia hoc competit ſpiritui qui eſt in ſpermate, ideo aliquid participat de rebus ſeparatis, vt ex hoc poſſit dici quodammodo res diuina, nec obſtat, quod huiuſmodi ſpiritus eſt corpus, quia & corpora aliquia poſſunt participare de modo formarum ſeparatarum.

Videmus enim quod corpora, non ſolum multiplicãt formas ſuas realiter, vt ſecundum hoc ſint principium eſſendi, ſed etiam multiplicãt eas intentionaliter, vt ſecundum hoc ſint principium cognoſcendi, ſecundum quàm multiplicationem, aliquid participant de conditione rerum immaterialium. Nam forma intentionaliter,

tionaliter, aliquo modo dicitur esse forma sine materia; & inde est quod quia omnis sensus, formas intentionaliter recipit, ideo dicitur in secundo de anima, quod comune est omni sensui, quod sit susceptiuus specierum sine materia: forma enim intentionalis dicitur aliquid participare de conditionibus immaterialitatis, quia & ipse immateriales subiectæ, habent apud se intentionales formas, representatiuas rerum, non est ergo inconueniens, res corporales, et materiales aliquid participare de cõditionibus substantiarum sepatatarũ. & de modo diuino, propter quod spiritus in spermate habẽs in se virtutes informatiuas, quia vnitiue, continet spiritum naturalem, vitalem, & animalem, quia ipse non diuersificatus, nec tripartitus, format in membris spiritum sic tripartitum, aliquid participat de modo separatorum, & de modo diuino, qui tanquam causa vnitiue continet, quæ hoc inferius sua creata diuisim, & sparsim habent, & quod dictum est de huiusmodi spiritu formante, mẽbra, respectu spiritus formati in membris, veritatem habet etiam de ipsis membris. Nam cum virtute huiusmodi spiritus emissi cum spermate, formentur omnia membra, conueniens est quod huiusmodi spiritus, tanquam causa habeat vnitiue, quæ membra quasi sua causata distinctum, & diuisum habent, vt in hoc quasi diuinum modum participet.

Tertia via, ad hoc idem sumitur, prout huiusmodi spiritus, comparatur ad suum modum agendi, nam secundũ modũ agendi, non est formaliter, sed magis virtualiter, sicut aliter calefacit Sol, aliter ignis: nam ignis calefacit formaliter, quia est formaliter calidus. Sol vero calefacit virtualiter, quia non est calidus formaliter, sed virtualiter; esset enim de natura ignis, si esset formaliter calidus. Cum enim ignis sit primo formaliter calidus, quicquid est sic calidum, est calidum per naturam ignis, participabit aliquo modo naturam ignis: quia quod est primo tale, est causa omnium aliorum, quæ sunt post, vt declarari habet in ij. methaph. & sicut aliter calefacit ignis, aliter calefacit sol; sic aliter membra iam formata conuertunt sanguinem ad se, & nutriuntur inde, aliter sperma maris agit in sanguinem, & fiunt inde membra; ita quod ex sanguine fiunt membra actione membrorum, cum nutritur animal, & ex sanguine fiunt membra actione spermatis, cum generatur animal, vt eadem sit materia nutritionis, & generationis animalis. Sanguis enim conuertitur in mẽbra virtute spermatis cum animal generatur; quæ actiones sic diforunt.

ferunt, quod conuersio sanguinis in membra, virtute membrorũ est actio formalis, quia membrum conuertit sanguinem in membrum, ideſt in se ipsum, & assimilat sibi passum formaliter. Conuersio autem sanguinis in membra virtute spermatis, nõ est actio formalis, sed virtualis; ibi enim sperma non conuertit sanguinẽ, sed in membra, in sperma.

Cum ergo sperma non sit membra formaliter, sed virtualiter; actio spermatis conuertens sanguinem in membra, est actio virtualis, non propriè formalis, sicut sol, quia non est calidus formaliter, sed virtualiter; actio solis calefaciens, est actio virtualis nõ propriè formalis, vt hæc de formali loquimur. Ex quo apparet, non sapere philosophiã sanam dictum dicentiũ, quod sperma cibat se sanguine menstruo; quia cum cibus conuertatur in cibatũ, sanguis menstruus conuerteretur in sperma: qui sanguis sic conuersus, nunquam posset esse generationis materia: sicut nec sperma potest esse generationis materia, quia non potest esse nutrimentum geniti, quod non est generationis materia, & est postea nutrimentum geniti; quia ex eodem generamur & nutrimur, sicut ergo nutrimentum membrorum, est sanguis, sic est & materia generationis ipsorum. Et si dicatur, quod dealbatur sanguis, qui est generationis materia, dicemus quod sanguis menstruus, qui est sic materia, non dealbatur, quod fiat sperma, & quod sit agens, sed quod fiat materia, & quod sit patiens. Sicut enim nõ esse rubeum, est competens gustui, cum & fel sit rubeum, sic non esse album, est propriè generationis materia; oportet enim semper hoc distinguere inter actiuum, & passiuum, vt sperma maris sit actiuum; illud autem quod præstat mulier, nunquam, conuertatur in huiusmodi sperma, & nunquam fiat actiuum, sed alteratur, & sit materia tanquam quid passiuum.

Actio formalis, & virtualis

Reuertamur ergo ad propositum, & dicamus, quod actio mẽbrorum sanguis in membra, est actio formalis; quia ibi agens assimilat sibi passum formaliter: actio autem spermatis conuertens sanguinem in membra, est actio virtualis; ibi enim agens assimilat sibi passum, non propriè formaliter, sed virtualiter. Cum ergo agere virtualiter, sm quod huiusmodi, cæteris paribus fit altius, & excellentius, quàm agere formaliter, sic altiori, & excellentiori modo calefacit sol, quàm ignis. Actio spermatis conuertens sanguinem in membra, aliquem modum excellentiæ habet supra actionem membrorũ, conuertentium sanguinem in seipsa,

ratione

Modus agendi.

ratione cuius excellentiæ, virtus in ſpermate quid ſeparatum, & quid diuinum dici poteſt: ſi enim ſerra inducit formam artis, nõ habens in ſe ſimilitudinem, forme in nullo, talis actio habet excellentiam ſuper actionem artis, quia nihil agit ſupra vbi, niſi mota ab arte; ſed cum ſperma, iam ſit ſeparatum à membris patris; quorum aliquo modo poteſt dici organum, poſtquam agit virtualiter conuertens ſanguinem in membra, quod membra agunt formaliter conuertentia ſanguinem in ſe ipſa, aliquam excellentiam habet ſuper actionem membrorum, & in quantum excedit actionem membrorum, quæ ſunt corpora excedit actionem corporũ. Quicquid autem excedit actionem quorumcunque corporum, ſecundum quod huiuſmodi, aliquo modo appropinquat ad modũ ſeparatorum; ſicut non poteſt quis ſic modicum recedere, à termino, à quo, quin aliquo modo tendat, & appropinquet ad terminum ad quem: totum enim ens eſt inter materiam, & Deum, ita quod nihil poteſt eſſe ſupra Deum, quia eſt actus purus, & nihil infra materiam, quia eſt potentia pura: ens autem quod eſt inter iſtos duos terminos, diuiditur in duo, in corpora, & in ſubſtantias ſeparatas, ita quod ſubſtantiæ ſeparatę ſunt mediæ inter Deum & corporalia; corpora quidem ſunt media inter ſubſtãtias ſeparatas, & materiam. Et hic & ibi ſunt gradus, vt in corporalibus quanto accipitur excellentius corpus; tanto magis aſcenditur verſus ſubſtantias ſeparatas; quanto minus excellentia, tanto magis deſcenditur verſus materiam: ſic & in ſubſtantijs ſeparatis, quanto magis accipitur excellens ſubſtantia, tanto magis aſcenditur verſus Deum, quanto minus excellens, tanto magis deſcenditur verſus corpora, quod ergo corpus excellat corpus, hoc eſt aſcendere verſus ſubſtantias ſeparatas, quod autem corpus deficiat à corpore, hoc eſt deſcendere verſus materiam. Si ergo actio ſpermatis excellit actionem membrorũ, & in hoc eſt ſupra membra, conueniens eſt quod eius virtus, ſecundum quod huiuſmodi, accedit ad modum ſeparatorum, prout excellit modum taliũ corporũ, vt ratione iſtius excellentiæ, dicatur virtus ſpiritus exiſtentis in ſemine, habere aliquid de modo ſeparato, & eſſe quid mirum.

Quarta via ad hoc idem ſumitur, prout huiuſmodi ſpiritus comparatur ad ipſam ſuam actionem; actio enim huiuſmodi virtutis, ſiue huius ſpiritus aſſimilatur artificiato, & quaſi poteſt dici actio artis, & actio intellectus, vt Cõmen. dicit in ij. methaph.

qui

qui loquens de huiusmodi virtutibus generatiuis, quæ sunt in seminibus ait, quod sunt virtutes diuinæ generantes similia, iuxta quod artes generant sua artificiata; & allegat ad hæc auctoritatē Aristotelis in libro de animalibus dicentis, quod tales virtutes sunt similes intellectui; quia agunt sicut agit intellectus: videtur enim actio simplex naturalis, in hoc differre ab actione intellectus; quia actio naturalis, ex vna materia vnum facit: & si facit inde diuersa, si purè sit naturalis actio, hoc est ex diuersitate materiæ, vt idem sol indurat lutum, & liquefacit ceram: actio tamen artis & intellectus, ex vna & eadem materia facit, quæcunque diuersa, vt idem artifex ex eodem ligno, faciet dolium, æquum & idolum hominis, & multa alia varia, & diuersa: sic spiritus emissus cum spermate, siue virtus cum semine maris, videtur in hoc habere modum artis, & modum intellectus, quia ex eodem menstruo facit ossa, neruos, & carnes, & tot diuersitates ossium, & tot varietates neruorum, verum est, quod in toto opere naturæ, refulget opus intelligentiæ. Cum ergo tota natura in finem tendat, oportet quod ab aliquo intelligere dirigatur, cum ipsa natura de se non intelligat. Sicut si sagitta directè in signum tendit, cum non habet signi cognitionē, oportet quod à cognoscente dirigat.

Sed præter hunc generalem modum, quod opus totius naturæ, est opus intelligentiæ, & est quasi opus artis, quia est opus Dei, totam naturam dirigētis, qui est omnium artifex, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, specialiter refulget opus artis in virtutibus, quæ sunt in seminibus, & maximè in generatione animalium, vbi sunt tot diuersitates, & tot varia: & quia opus intelligentiæ, & opus artis est quid separatum, & accedit ad quid diuinum, ideo spiritus, qui est sic cum spermate, & virtus quæ est in huiusmodi semine, quid separatum, & quid quasi diuinum dici poterit, qualiter autem huius virtus in semine, ex vna materia potest tot diuersitates facere, infra patebit.

Quinta via ad hoc idem sumitur ex ipsa re actiua: nam maius est ex sanguine, membra non formata formare, quàm ex sanguine membra fomata nutrire; hoc enim facit actio cordis & membrorum iam formatorum, quod ex sanguine se cibant, & ex sanguine se nutriunt, ita quod huiusmodi membra iam formata, in se ipsa sanguinem conuertāt: sed hoc facit virtus in semine, quod membra nondum formata, ex sanguine format, vbi virtus seminis excedit virtutem membrorum. Cum ergo semen sit quasi in-

strumentum, & organum patris, quia in virtute animæ patris formatur fœtum, & ibi inducit animam, vel saltem disponit ipsum ad animam, videtur quod hic organum agit supra virtutem principalis agentis; ideo philosophi ad hanc veritatem deuenerunt, quamuis eam non perfecte conspexerunt, quod hanc virtutem in semine nolue rũt attribuere virtutibus naturalibus, sed principijs diuinis, vt supra tetigimus, quod ideo verum est, quia natura animalis, non potuisset hoc dare suo semini, quod ageret vltra ipsam, agens enim posset dare instruinento, quod agat vltra formam instrumenti, sed non quod agat vltra formam agentis, vt potest dare ars ferrę, vt agat vltra formam artis. Cum ergo ipsa natura animalis, & ipsa membra eius, non pssint ex sanguine, noua mẽbra cõstituere, licèt possit membra iam constituta nutrire. Quod ergo ipsa natura animalis, non potuit suo semini tribuere, vt quod posset semen ex sanguine, noua membra formare, oportuit itaque quod non potuit natura de se, hoc haberet à supiori agente, vt à Deo, quod tunc factum fuit, cum dixit Deus Gen. primo Producant aquæ animam viuentem in species suas. Et omne volatile secundum genus suum: & cum dixit animantibus omnibus, Crescite, & multiplicamini, & replete terram; tunc vim generatiuam largitus est eis, tunc indidit rebus rationes seminales, per quas rationes seminales, omnia hæc naturalia inesse prodeunt, per quas rationes seminales, natura animalis, per suum semen potest noua membra constituere, quæ per se ipsam non potest, sed solum potestriam constituta nutrire. Cum ergo dicitur, quod non potest dare agens organo, quod agat vltra formã agentis, sed solum quod agat vltra formam organi, satis de leui soluitur, videlicet, quod non potest hoc agens per se, sed bene potest hoc esse, vt est organum alterius. Sicut enim potest agens dare organo, quod agat vltra formam organi, ita potest agens vt est organum alterius, dare suo organo, vt agat vltra formam ipsius agentis; sicut enim potest ipsa serra in virtute artis, facere vltra serram, sic potest materia in virtute Dei, facere vltra seipsam, licèt ergo natura animalis (secundum se) non posset dare suo semini, quod ex sanguine noua membra constitueret, quia hoc nec ipsa natura secundum se potest; potest tamen hæc talis natura in virtute Dei.

Virtus in semine.

Agere vltra formam propriam.

Et ideo oportuit ad hoc, quod natura hoc posset, quod Deus daret ei vim generandi; & quod naturæ à Deo essent seminales indite,

inditę merito ergo philoſophi virtutem ſeminum, noluerunt attribuere virtutibus naturalibus, ſed principijs diuinis; quia hoc non poſſet natura dare ſemini ſecundum ſe; ſed hoc dat ei prout huiuſmodi natura, eſt organum Dei, vt prout à Deo eſt ei hoc inditum. Ex hoc patet clare quod dicebatur, quare ſpiritus exiens cum ſpermate, & quare virtus in ſemine, dicitur quid ſeparatum, & quid mirabile, quia ſpecialiter ibi relucet virtus ſeparata, & virtus diuina: philoſophi ergo deuenerunt vſque ad hoc, quia talia noluerũt attribuere virtutibus naturalibus. Sed Theolo. & potiſſimè Auguſtinus pr̃ noſter, dux & princeps, reducens huiuſmodi actiones in diuina principia, apertius reducere nouit, quãdo aſſignauit rationes ſeminales à Deo inditas rebus, & res habere non poſſe generatiuam virtutem, niſi ſpecialiter Deus eam fuiſſet impartitus rebus.

Sexta, & vltima via, ad hoc idẽ ſumitur, prout huiuſmodi ſpiritus comparatur ad animam patris, in cuius virtute agit: videtur enim anima patris prout agit per huiuſmodi ſemen, aſſimilari intelligentijs, prout agunt per orbem cęleſtem, ita quod ſicut intelligentiæ, mediante cęlo cauſant hoc inferius formas, ſic anima patris mediante ſemine, diſponit menſtruum ad ſuſceptionem animæ: vnde commentator in vij. methaph. aſſimilat in huiuſmodi operatione, animam motoribus cęli, dicens quod huiuſmodi virtus informatiua, ſiue anima per huiuſmodi virtutuem non agit, niſi per calorem, qui eſt in ſemine: non ita quod ſit forma in eis, ſicut anima eſt in corpore naturali, ſed quod ſit in eis, ſicut anima eſt in corporibus cęleſtibus; anima enim in corporibus cęleſtibus, non eſt coniuncta per eſſentiam, quod fiat vnum ſecundum eſſe ex corpore cęleſti, & eius anima, ſed eſt coniuncta per virtutem, vt fiat vnum ſecundum operationem; quia corpus cęleſte, eſt organum intelligẽtiæ, ita quod quicquid agit huiuſmodi corpus, intelligentiæ debet attribui. Sic anima patris, dicitur eſſe coniuncta ſemini, ſecundum virtutem, quia ſemen agit in virtute animæ patris, & eſt organum eius; vt omnis operatio huius ſeminis, animæ patris poſſit attribui. Nam licèt mater habeat animam, & corpus, tamen quod adminiſtrat mater, totum eſt corporale, vt non dicatur fœtus habere à matre, niſi corpus: hic etiam licèt pater habeat corpus, & animam, tamen quod dat fœtui, totum eſt animale, vt non dicatur fœtus habere à patre, niſi animam, vel effectiuè, vt in animalibus brutis, quorum animæ

æducuntur de potentia materiæ, vel dispositioñe, vt in anima rationali, quæ per virtutem seminis de potẽtia materiæ non æducitur; sed per huiusmodi virtutem, embrio ad susceptionem huiꝰ formæ, suffreienter disponitur: à corpore ergo matris, est corpus filij, & ab anima patris, mẽdiante seminæ, modo quo dictum est, est anima filij; ita quod huiusmodi anima patris, agens per semẽ, non coniungitur ei essentialiter, sicut cõiungitur suo corpori naturali, sed coniungitur ei secundum virtutem, vt in hoc secundũ Comment. immitetur motores cœli, qui secundum commen. sic coniunguntur super cœlestibus corporibus. Spiritus ergo qui est in semine, dicitur esse quid separatum, & quid diuinum ab Aristotele, quia non agit nisi vt innititur animæ. Et sic agens potest dici non inniti animæ, vt est forma naturalis, sed magis, vt conuenit cum motoribus cœli, vt est expressum per habita. Et quia motores cęli possunt dici, quid separatum, & quid diuinum, poterit, & huiusmodi spiritus in seminæ, propter ea quæ dicta sunt, sic nominari à Phisicis.

CAPVT XI.

In quo ostenditur quomodo ex eadem materia, vt ex sanguine menstruo, possunt fieri tot diuersitates, & quomodo in talibus est circulatio, sicut & in alijs naturalibus rebus.

MEritõ quidem fortè posset aliquis dubitare, quomodo ex eadem materia, vt ex sanguine menstruo, possunt tot diuersitates fieri: cuius difficultatis quidam conati sunt reddere rationẽ, ex diuersitate materiæ, volẽtes omnia hoc tria esse materiam fœtus, videlicet, menstruum, sperma fœmineum, & sperma maris: sed sperma maris, quia totum

tum fit materia ſpirituum; ſperma fœminæ, fit materia venarum, & neruorum, & talium quæ non reſtaurantur: menſtruum quidem fit materia carnis, & adipis, ſiue pinguedinis, & talium quę reſtaurari poſſunt. In ipſo etiam ſperma te matris, diſtinguunt diuerſas ſubſtantias, propter quod vtiuntur, quod ſubtilius eſt ibi, tranſit in ſpiritus, quod autem groſſius, in membra.

Sed huiuſmodi dictum, præter hoc, quod eſt valde irrationale, quia vt diximus, non diſtinguit inter agens & materiam, ſed ponit quod ſperma matris, quod ſe habet vt agens, fiat materia, & ponit quod ſperma fœminæ, quod per ſe, vt patuit, non eſt generationi conueniens, per ſe ad generationem ordinetur. Eſt etiam nihilominus irrationale, quia nũquam in huius rebus poſſemus tantam diuerſitatem ſaluare, quod inde poſſent fieri membra, oſſa, quæ ſunt ſic dura, & caro, & adeps, quæ ſunt ſic mollia, & nerui, & venæ: & quia omnia iſta tanta in diuerſitatem habent; & ratio huius diuertatis poteſt reduci in materiam, non tamen eo modo quo iſti reducunt. Poſſumus ergo dicere, quod ad gñonem aĩalis, cõcurrunt quatuor, quantũ ad prẽſens ſpectat, ex quibus omnibus poſsũt ſumi rationes, quomodo in corpore embrionis, tanta membrorum diuerſitas fieri poſſit. Concurrit enim ad huiuſmodi generationem, virtus generatiua, quæ eſt in ſemine, vel in ſpiritu emiſſo cum ſemine; & menſtruum quia eſt huius generationis materia, & anima patris, quia in cuius virtute agit huiuſmodi generatiua virtus, & ipſe ſpiritus emiſſus cum ſemine, qui eſt ſubiectum talis virtutis. *virtus generatiua.*

Primo ergo ad generationem animalis, concurrit virtus generatiua: ſi ergo quęreretur quomodo in corpore animalis, aliquid conuertitur in oſſa, & in neruos, & venas, in carnem, & adipem, diceremus, quod vltimus cibus animalis, eſt ſanguis in habẽtibus ſanguinem; vel aliquid loco ſanguinis in carentibus ſanguine, fit ergo tranſmiſſio alimenti ad omnia membra, & quod quodlibet membrum conuertit alimentum ad ſe tranſmiſſum in ſubſtantiã ſuam, vt os conuertit alimentum ad ſe tranſmiſſum in os, caro in carnem, & ſic de alijs: & licèt poſſet in hoc aliqua idoneitas aſſignari, vt ſi ex eodem ſanguine fiunt tàm diuerſa, vt ex eo quod eſt ibi ſubtilius, fiat vnum, ex alio aliud: attamen ex tali idoneitate, nunquam ſufficienter poſſemus habere, quod inde poſſent generari, oſſa, & carnes, & talia: propter quod huiuſmodi diuerſitatem, principaliter reducemus in ipſa membra, vt ſicut idem

aer,

aer, conuertitur in igem, quando in ipſum agit ignis, & in aquã quando in ipſum agit aqua, ſic idem ſanguis, prout eſt alimentũ talium membrorum, & prout in ipſum agunt talia membra, conuertitur in huius membra, & prout in ipſum agunt alia membra, conuertitur in alia membra, forte quidem quantum ad humores, vel quantum ad aliquas humiditates, poſſemus ſufficienter talem diuerſitatem aſſignare ex parte materiæ, vt ſi diceremus, quod in virtute æpatis, generantur quinque ſubſtantiæ, videlicèt, vrina, colera, melenconia, ſanguis, & fleuma, vt diceremus quod ſuperfluitas aquoſa, vadit in vrinam ſcilicet per renes, in veſicã; quod eſt ibi ſpumoſum, tranſit in coleram, & vadit ad ciſtam fellis; & quod groſſum, in melenconiam, & vadit ad ſplenem. De eo autem quod eſt purius, fit ſanguis, & fleuma, ita tamen quod in eo, quod eſt purius, eſt aſſignare magis, & minus purum, vel eſt ibi aſſignare aliquid, quod ſuſcipit actionem agentis magis, & aliquid quod ſuſcipit minus.

Superfluitas aquoſa.

Illud ergo quod eſt purius, & quod eſt aptum natum ſuſcipere actionem agentis, magis conuertitur in ſanguinem. Quod aũt eſt minus purum, & quod non eſt ſic aptum natũ ſuſcipere actionem agentis, fit fleuma, vt nihil ſit aliud fleuma ſecundũ Aueroẽ in ſuo Colliberto quàm ſanguis indigeſtus. Et inde eſt quod idẽ Auẽroes ibidem dicit, quod ex fleumate poſſint nutriri membra, non autem ex melancolia, & colera, talem ergo diuerſitatem poſſemus aſſignare ex idoneitate materiæ, ſed quod ex ſanguine fiãt oſſa, & carnes, & hoc reducatur ſufficienter in idoneitate materiæ, quantum ad diuerſitatem repertam in materia, vt quod eſt in ſanguinem groſſius, & durius, ſit ſufficiens cauſa quod inde generentur oſſa, & reliquum quod inde generentur carnes: tantus enim exceſſus ſecundum duriciem, & molliciem, quantus eſt inter carnes, & oſſa, ſufficienter in diuerſitate partium ſanguinis, reduci non poteſt: ſed reducemus talem diuerſitatem, in ipſa mẽbra, vt ex alimento dicimus generari carnes, & oſſa, vt ſcilicet alimentum applicatum ad os, actione oſſis conuertitur in os, applicatum ad carnem actione carnis in carnẽ; & forte idem quodammodo dicemus de alimento reſpectu oſſium, & carnium, quãdiù fit generatio ipſorũ; quod dicit philoſophus, in x. methaph. de ſpermate fœminæ ideſt de menſtruo reſpectu maris, & fœminæ; vbi vult, quod idem menſtruum, paſſum alia, & alia paſſione fit mas, & fœmina, vt paſſum paſſione magis calida, fit mas: mi-

nus

nus autem çalida, vel frigida, sit fœmina, sic idem alimentum passum, ab hoc membro, conuertitur in hoc membrum, ab illo in illud.

Et quod dicimus de alimento respectu membrorum, dicemus de menstruo, respectu virtutis generatiuę. Dicemus enim à corde principaliter, & à testibus instrumentaliter, inquantum testes in hoc deseruiunt cordi, virtus generatiua in semine, habet virtualiter, quod omnia membra formaliter, omnia enim membra sunt omnia membra formaliter, & conuertunt sanguinem, siue alimentum ad se, transmissum in se ipsa, vt inducant formam omnium membrorum, sic virtus in semine à corde, & à testibus habet quod sit omnia membra virtualiter, vt quod possit per virtutem quàm habet omnia membra formare: possumus autem aliquam idoneitatem assignare, ex parte materiæ: sed sufficienter diuersitatem in generatione membrorum, assignabimus ex parte virtutis in semine, quod semen est omnia membra virtualiter; sicut in nutritione membrorum, assignabimus huius sufficientem diuersitatem ex parte ipsorum membrorum, quæ sunt talia formaliter. Si ergo quæritur, quomodo in nutritione ex eodem alimento potest fieri conuersio in tàm diuersa mẽbra, dicemus quod hoc est ex parte ipsorum membrorum, quæ sunt sic diuersa formaliter: sic si in generatione membrorum, quæratur causa, quomodo ex eodem menstruo, possunt fieri tot diuersa membra: dicemus quod est per virtutem ipsius seminis maris, quod semen est omnia membra virtualiter, nec fiat vis in hoc verbo, quia dicimus membra esse diuersa formaliter, quia licèt omnia membra, vt sunt substantia, perficiantur ab eadem anima, tamen vt habent alias, & alias actiones, & vt sunt organa diuersarum actionum; quandam diuersitatem formalem virium, & potentiarum in ipsis ponere possumus, vt ex eis formaliter sumãtur diuersa iuuamenta, & aliud iuuamentum sumatur ex ossæ, aliud ex carne, aliud ex hoc osse, & aliud ex illo; vt quot sunt ibi ossa, tot sunt ibi iuuamenta: vt quod dictum est de carnibus, & ossibus, intelligendum est de neruis, & venis, & de omnibus, ex quibus per se componitur corpus animalis, vt nihil sit ibi quod non habeat per se, & proprium iuuamentum: propter quæ propria iuuamenta, virtus formatiua, omnia membra sic formar, vt possint sua iuuamenta sortiri.

Secundo, ad generationem animalium concurrit menstruum, quod

quod est huius generationis materia; dicemus ergo quod huiusmodi menstruum, ex quo generatur fœtus, est sanguis, & est aliquo modo vltimus cibus: ideo non solum ex parte agentis, vt quia semen maris est omnia membra virtualiter, sed etiã ex parte menstrui, quod est omnia membra materialiter, possumus huius rationem assignare. Nam vltimus cibus est omnia membra materialiter, quia actione omnium membrorum, potest in omnia membra conuerti: sic ex sanguine, ex quo formatur fœtus, quia quodammodo habet rationem vltimi cibi, actione seminis, quod est omnia membra virtualiter, poterunt omnia membra formari: ita quod ex sanguine fiunt omnia membra, actione omnium mẽbrorum, quæ sunt talia formaliter, cum animal nutritur, & ex sanguine fiunt omnia membra virtute seminis, quod est omnia membra virtualiter, cum animal generatur: quod si non dabitur, quomodo sanguis possit omnia membra nutrire; non est dubitandum quomodo ex sanguine possint omnia membra generari, nec obstat, si quis obijceret, quod sanguis non est vltimus cibus mẽbrorum, quamuis hoc videãtur sonare verba Philosophi in multis locis in de animalibus, quod sãguis alteratur, & fit sicut cibus, dicemus enim quod nunquam materia transsumitur in aliquid, nisi alterata; quia agens, & patiens sẽper in principio sunt aliquo modo contraria, in fine autem sunt similia, sanguis ergo vel sub forma roris, vel qualitercunque transmissus ad omnia membra, actione membrorum omnium, transmutatur in omnia membra, sic ex sanguine menstruo, actione seminis, quod est omnia membra virtualiter omnia membra fiunt. Illud enim idem quod agit ex aliquo, quod est tale formaliter, potest agere, vel facere ex eodem, quod est tale virtualiter, vt si ex frigido fit calidum ab igne, qui est calidus formaliter, ex frigido poterit fieri calidum à sole, qui est calidus virtualiter. Et si sanguis transmittitur in omnia membra, actione omnium membrorum, quæ sunt talia formaliter; poterunt ex sanguine generari omnia membra, actione seminis maris, qui est omnia membra virtualiter: vbi enim damus omnia fieri, & omnia facere, siue illud omnia facere sit tale formaliter, siue virtualiter, poterunt omnia sic constitui. Sanguis itaque qui est omnia membra fieri, actione omnium membrorũ, quæ sunt talia formaliter, poterit in omnia membra transmutari: pari etiam ratione, ex sanguine actione seminis, quod est omnia membra fieri, virtualiter poterũt in embrione omnia mẽbra fieri.

Orgara diuersarũ potentiarum.

Sanguis ad omnia membra.

Tertio

Tertio ad generationem dicitur operari anima patris, in cuius virtute fit generatio; nunquam enim forma ſubſtantialis, eſt immediatum principiũ actionis, ſed ſemper agit mediante aliqua accidentali forma, vt ignis mediante calore: attamen illa accidentalis forma, eſt organũ formę ſubſtantialis, vt ſit huiuſmodi accidens organum ſubſtantiæ, & propter ſubſtantiam, ſiue propter ſubſtantialem formam, vt ſic fiat actio per huiuſmodi accidens, ſicut requirit ſubſtantialis forma, vt ſi ignis agit mediante calore, ſic fiet talis actio, vt requirit forma ignis, & quia forma ignis requirit materiam calidam, raram, & ſiccam; ideo ſi ex humido, frigido, & ſpiſſo debet fieri ignis per huiuſmodi calorẽ, non ſolũ materia calefiet ſed etiam diſiccabitur, & rarefiet, & omnia inducentia ibi, quæ requirit forma ignis. Et hoc per calorem tantum, vt agit in virtute formæ ignis: ſic virtus generatiua in ſemine, quia agit in virtute animæ, inducet in materia embrionis omnia illa, quæ requirit anima; & quia anima eſt actus corporis organici, requirit diuerſa membra, ideo huiuſmodi virtus generatiua, faciet in eadem materia embrionis diuerſa membra.

Ideo ſi quæratur quomodo ex ſanguine, qui eſt materia vna, per virtutem quæ eſt in ſemine, quæ eſt virtus vna; poteſt tanta diuerſitas fieri, dicimus quod & ſi ſanguis eſt materia vna; eſt tamen talis materia vna, quod eſt omnia mẽbra fieri materialiter, quia poteſt eſſe cibus omnium membrorum. Et poſito quod virtus in ſemine ſit virtus vna, eſt tamen talis virtus vna, quod à corde & à teſtibus habet, quod ſit omnia membra facere virtualiter. Tertio quia huiuſmodi virtus in ſemine agit in virtute animæ, quæ requirit corpus organicũ, & quæ reqrit oĩa mẽbra, ideo oĩbus iſtis cõcurrẽtibus, poterũt ex ſanguine oĩa mẽbra fieri: ſperma ergo, nec maris, nec fęminæ poteſt eſſe materia mẽbrorũ, ſed ſanguis; cum non nutriãtur membra ſpermate, ſed ex ſanguine. Sanguis ergo quem adminiſtrat fœmina eſt omnia membra fieri: ſperma quod emittit maſculus, eſt omnia membra facere; ſperma autem fœminæ per ſe non eſt generationi conueniens, poterit tamen ad generationẽ habere iuuamenta illa, quæ ſuperius tetigim⁹.

Quarto, ad generationem embrionis concurrit ſpiritus, in quo ſicut in ſubiecto eſt generatiua virtus, eſt enim ſemen quid ſpumoſum, & ſpongioſum, in quo concluditur multum de ſpiritu, ſicut in ſpongia multum de aere; eſt enim ſpiritus quaſi corpus aereum, & ſubtile, in quo ſpiritu habet potiſſimè eſſe virtus gene-

ratiua: ex quo ſpiritu poſſumus aſſumere rationẽ ad propoſitum; dicemus enim quod huiuſmodi ſpiritus, eſt organũ animæ; omne autem organum habet aliquid vt quædam res eſt, aliquid autem vt organum eſt; vt calor in corpore naturali, qui licèt vt quædam res eſt habeat conſumere, tamen vt eſt organum animæ, habet conſumere vſque ad debitam digeſtionem, ſic eſt ſpiritus in corpore iam formato, vt quædã res eſt, non habet niſi ferri ſurſum, quia leuis, & calidi eſt ſurſum ferri; tamen vt eſt organũ animæ fertur in omnem differentiam potentis; ideo materia menſtrui, ex qua formatur fœtus, ſecundum omnem partem perforat. Sed quia vt dictum eſt organum animæ ſic perforat in omnem partẽ huiuſmodi materiã, ſecundũ quod requirit aĩa: & quia aĩa requirit quod ibi formentur diuerſa membra, ideo ſic perforat, & ſic format membra, vt exigit anima: ideo benedictum eſt, quod dicit Commen. in primo de anima, quod membra leonis, & membra cerui non differunt, niſi quia animæ differunt; huiuſmodi enim ſpiritus emiſſus cum ſpermate cerui, ſic perforat materiam fœtus, & ſic format ibi membra, ſecundum quod requirit ibi anima cerui: ſimiliter ſe habet in animalibus alijs.

organum animæ.

Concedimus ergo q; huiuſmodi ſpiritus, ſua ſubtilitate habet penetrare, & perforare, ſua caliditate habet alterare. Sicut ergo eſt organum animæ impenetrando, & perforando; & ſic perforat vt exigit anima, quæ eſt in embrione introducenda: ſic etiam eſt organum animæ in alterãdo, quia ſic alterat, vt exigit anima: vbi ergo debet materiam indurare, & facere ibi oſſa; indurat, & facit ibi oſſa; vbi extendere ad modum filorum, & facere ibi neruos, & venas, extendit, & hoc ibi facit: vbi molleſcere, & facere ibi carnem, & adipem, molleſcit. Et hoc ibi agit, vt ſicut de ſe huiuſmodi ſpiritus non fertur, niſi in vnam partem, vt tamen organum animæ fertur in omnem, ſecundum quod requirit anima; ſic & ſi de ſe non niſi vno modo alteraret, tamẽ vt organum animæ, alterat omnimodo quo requirit anima propter quod eundẽ ſanguinẽ poteſt indurare, faciendo oſſa; extendere admodum filorum, faciendo venas, & neruos coagulare faciendo carnem, & adipem &c, huiuſmodi facere; quia hæc oĩa requirit, & exigit anima.

Habito quomodo ex eodem menſtruo, poſſunt omnia membra fieri, non obſtante quod ſit quodammodo vnitas ex parte materiæ, volumus oſtendere, quomodo in talibus eſt circulatio,

ſicut

ſicut in alijs naturalibus rebus, dicemus enim quod duplex eſt ſpiritus organicus, formatus in membris, & formans membra. Spiritus quidem formatus in membris, dicitur ſpiritus aggeneratus in corde. In cuius virtute membra viuunt, nutriuntur, & ſentiunt; licèt in nutriendo deſeruiat epar cordi, in ſentiendo cerebrum, vitam autem dare membris, videtur eſſe proprium cordi, quia non facit hoc, nec per cerebrum, nec per epar, nec per aliquod membrum ſpetiale; ſed per venas pulſatiles, quæ appropriantur cordi, vt vult Auctoes in ſecundo ſui Collibeti huius autem ſpiritus ſic aggeneratus in corde, poteſt dici ſpiritus organicus, quia agit in virtute ſpetialis organi, ſiue ſpetialis membri, videlicèt, cordis. Spiritus autẽ formans membrũ, eſt ſpiritus emiſſus cũ ſpermate, qui poteſt dici nõ organicus, quia non agit in virtute alicuius ſpetialis mẽbri, nec alicuius ſpetialis organi, ſed eius eſt totũ corpus organizare, oĩa organa facere, formare oĩa mẽbra, non ergo reducem' talem ſpiritũ ad aliquod ſpetiale membrũ, in quo ſit, in cuius virtute agat; ſed ſi vallemus ipſum reducere ad aliquod membrum, reducemus ipſum, non ad membrum, in quo ſit, ſed ad membrum à quo eſt, vt ad cor patris, à quo habuit virtutem agendi.

Eſt ergo hic ordo, quod à ſpiritu formato in mẽbris, eſt ſpiritus formãs mẽbra. Et ab huiuſmodi ſpiritu formãte, eſt ſpiritus formatus: ita quod eſt ibi circulatio, vt à ſpiritu formato, ſit ſpiritus formatus: nam ſicut à terra deplota, fit vapor, & nubes, quibus factis, fit pluuia; qua facta fit terra deplota, ita quod ex terra deplota, fit terra deplota, ſic etiam in propoſito: Nam à ſpiritu formato, qui eſt in corde, fit ſpiritus qui eſt in ſemine: ab hoc autem ſpiritu formante, fit ſpiritus formatus. Et ſicut eſt ibi circulatio, ex parte ſpiritus formantis, ſic eſt ibi circulus, ex parte ſpiritus formati. Nam à ſpiritu emiſſo cum ſpermate, fit ſpiritus formatus in corde pueri. Creſcente autem puero, & veniente ad annos puberes, ab illo ſpiritu generato in corde, fit ſpiritus formatus emiſſus cum ſpermate, propter quod conueniens eſt, quod etiam ex hac parte ſit circulatio, vt à ſpiritu formante ſit ſpiritus formans, vt ſemper poſſit continuari generatio: quæ tandiù continuabitur, quamdiù creatori placebit, quod eſt cum erit completus munerus electorum. *Circulatio.*

CAPVT XII.

Quod fœmina in vtero matris tardius formatur, quàm mas: sed extra vterum cicius perficitur, & completur.

SI considerentur verba philosophi in nono de Animalibus, & etiam verba Auicennę in eodē ix. patet, masculū in vtero cicius formari, quàm fœminam, sed extra vterum, fœmina masculo cicius perficitur, & completur. Experimento quidem videmus, quod extra vterum, corpus fęminæ cicius perficitur, & est in vtero experimento visum, quod si fiat aborsus masculi, & fiat in aqua frigida, quia frigidi est constringere, in quadragesimo die poterit aparere mas figuratus, sed fœmina ad sui figurationem, multum magis requirit tempus, vt dicit philosophus in nono de Animalibus: sed de tempore, quod requiritur masculus, & fœminæ quantum ad sui formationem, & de materiæ formationis pueri, in sequentibus dicemus. Nunc autem volumus causas reddere, quare fœmina masculo in vtero tardius formatur, & extra vterum celerius completur, dicemus enim quod in formatione fœtus, quantum ad præsens spectat, est quatuor considerare, videlicet, locum idest matricem, in qua formatur agens idest calorem emissum cum spermate, in cuius virtute formatur materiam idest menstruum, de quo formatur; quā materiam dupliciter considerare possumus, & quantum ad qualitatem, quia illa materia vnde formatur fęmina, est humidior, & labilior; & quantum ad quantitatem impuritatis, quia plus habet de admixtione impuri.

Ex omnibus autem his quatuor, videlicet, ratione loci, ratione agentis, ratione qualitatis idest humiditatis, & fluxibilitatis materiæ, & ratione quantitatis secundum impuritatem, quia plus est ibi de impuro, & minus de puro, quàm sit in materia, vnde formatur mas, poterimus assignare rariones, quare tardius in vtero formatur fęmina, quàm mas. Ratione quidem loci, poterit huiusmodi

iuſmodi ratio aſſignari, quia in ſiniſtra parte, vt plurimum formatur fęmina. In dextra autem parte, vt plurimum maſculus; vnde vt plurimum contingit, quod in formatione maſculi, fit motus lactis ad mammillam dextram; in formatione fęminæ, ad ſiniſtram: quamuis aliquando contingat, e conuerſo, quia maſculus formatur in ſiniſtra parte matricis, & fœmina in dextra, cuius cauſa infra tangetur, vt plurimum tamen ſiniſtra pars matricis, competit fœminæ, dextra maſculo, cum ergo dextra pars ſit calidior, quia calidi eſt dirigere & maturare; cum materia digeſta, & maturata facilius ſuſcipit impreſſionem agentis, cicius formabitur in vtero maſculus, quàm fęmina: immò cum huiuſmodi actio fiat per calorem, vbi ſuperabundat calidũ, fortificabitur actio, & accelerabitur effectus. Quod autem maſculo competit pars dextra, & fœminæ ſiniſtra, patet per philoſophum in nono de Animalibus, dicentem quod ſi fiat impregnatio maſculi, apparebit motus lactis in mammilla dextra; ſed ſi fœminæ, apparebit in ſiniſtra, licèt huiuſmodi ſignum non ſit omnino neceſſarium, quia vt philoſophus, ibidem ſubdit, quod ſępe in matrice eſt fœmina, & motus fit in mammilla dextra; & ſæpe in matrice eſt mas, & motus in ſiniſtra, & Auicenna in nono de Animalibus dicit, quod dexter ventriculus matricis, habilior eſt ad faciendum maſculum, quàm ſiniſter; quia magis calidus: & ſiniſter ventriculus, habilior ad faciendum fœminam: contingit aliquando vt idem dicit, quod in ſiniſtra parte ſit magis maſculus, & in dextra ſit fœmina: vnde cum pregnantes ſentiunt motum creaturę in parte dextra, ſignum eſt quod habent in ventre maſculum; ſi in ſiniſtra, fœminam, vt idem Auicenna ibidem dicit: ipſe itaque locus, in quo vt plurimum formatur maſculus, quia calidior, ſufficienter dat intelligere, quod in vtero cicius formatur mas quàm fœmina.

Secundo hoc idem patet non ſolum ex parte loci, in quo generatur maſculus, ſed ex parte agentis, vt ex parte ſpermatis, cuius virtute generatur mas: vnde Auicenna in nono de Animalibus, cauſam aſſignans quare cicius completur mas, quàm fęmina, dicit hoc propter debilitatem virtutis informatiue, per quàm generatur fęmina; quia vt dicit, ſi fortis eſſet, maſcularetur. Si enim ſperma emiſſum ſit calidum, & forte, habet generare maſculum: ſi debile & in calore remiſſum habet generare fęminam. Et quia agens forte, cicius perficit ſuam actionem quàm debile,

ideo

Fœmina tardius formatur

ideo non ſolum ex parte loci, quia in calidiori parte matricis generatur mas, ſed etiam ex parte agentis, quia calidiori ſperma te maſculus generatur, poſſumumus arguere, quod cicius formatur mas, quàm fœmina.

Tertia via ad hoc idem, ſumitur ex parte caliditatis materiæ, quia menſtruum vnde generatur fœmina, magis humidum, & fluxibile eſt. Et quia materia humida, & fluxibilis, non ſic poteſt retinere formam, & impreſſionem, ſicut materia non fluxibils, ideo cęteris paribus, dato quod equæ calidum eſſet ſperma, cuius virtute generatur fœmina, & æquæ calidus locus, ratione tamen materiæ, quia fit de materia magis humida, & fluxibili, non ita poſſet retinere formationem, & impreſſionem agentis materia, de qua fit fœmina, ſicut materia de qua fit mas: vnde philoſophus nono de Animalibus dicit, quod ſperma ſubtile, in quo non eſt philoſiras, generat fœminã, & ſicut diximus ex parte ſpermatis, ſic poſſumus dicere ex parte menſtrui, quod menſtruum humidum, & fluidum, eſt magis materia fœtus magis autem ſpiſſum, & magis ſtans, eſt materia maſculorum.

Quarta via, ad hoc idem ſumitur ex permixtione materiæ. Nam vt dicitur in nono de animalibus, mulieres parientes maſculos, in maiori parte ſunt boni coloris, & facilis motus: parientes autem fœminas, ſunt turpis coloris, & tardi motus, ex quo arguere poſſumus, quod plus eſt de materia proptia in generatione fœminæ quàm maris. Quia enim matrix, vt plurimum poſt impregnationem vſque ad tempus partus, manet clauſa, vnde ex pura materia formatur fœtus, in pura remanet in matrice; turpitudo itaque coloris, & tarditas motus, quando mulier pregnans habet in vtero fœminam, ſatis arguunt impuritatem materiæ, propter quàm hoc accidunt: & ſi alia cauſa poſſet aſſignari, hæc tamen cauſa multum viderur ad hoc facere, vt ex hoc poſſumus arguere, materiam generationis fœminæ plus habere de impuritate materiæ, quàm materia generationis maſculi, & quia materia magis impura, quantum, ad formam; & introductionem formæ, minus obedit agenti, conueniens eſt. quod in vtero cicius formatur mas, quàm fœmina, vt tàm philoſophus, quàm Auic. in nono de Animalibus aſſerunt.

Extra vterum fœmina.

Viſo quomodo in vtero cicius formatur mas, quàm fœmina volumus declarare, quomodo extra vterum, cicius completur fœmina quàm mas: quod etiam iiij. vijs poſſumus declarare, vt

vna

vna via sit materiæ abundantia. Secunda, materiæ obedientia. Tertia, sit intentio naturæ. Quarta, sit acceleratio senecturis. Prima via sic patet, nam cum fęmina ordinata sit, quod in generatione det materiam, sicut & masculus, quod det formam, oportet corpus fęminæ, plus habere in humiditate, vnde posset accipi materia fętus: vsque igitur ad tempus eius, quod non habent mẽstrua, multum abundat in eis materia, quæ conuertitur in substantiã corporis; quia non cedit huiusmodi materia vsq; ad tẽpus illud, in superfluum alimenti, quod sit materia generationis; & quia abundantia materiæ facit ad citam, & ad perfectionem velocem, concludere possumus corpora fęminarum extra vterum, cicius perfici quàm mas, & propter ipsius materiæ abundantiã.

Secunda quidẽ patet, propter huiusmodi materiæ obedientiã. Nam licèt humidum, & fluxibile, non ita sit aptum natum retinere formam, & impressionem, sicut non flexibile; propter quod arguitur plus de tempore in formatione fęminæ quàm masculi, attamen postquam huiusmodi humidum inceperit constare, vel inceperit constringi, facilius figuratur, & completur, quàm sic cum & spissum, quod non ita potest suscipere actionem agentis: idęo fœmina in vtero antequã formetur, tardius perficitur quàm masculus, sed per quàm materia illa incipit constare, & incipit formari, quia humidum magis est obediens agenti, quàm siccũ, & citius perficitur. Et quod dictum est de existentia in vtero post formationem, veritatem habet de existentia fœminę extra vterũ, vt quia humidum est magis extensibile, quàm siccum; & magis est obediens agenti, fęmina, vbi magis abundat materia humida, existens extra vterum, ratione huiusmodi humiditatis, & obediẽtiæ materiæ, citius extendit secundum corpus, & citius perficitur.

Tertia via, ad hoc idem sumitur ex intentione naturæ. Nam circa ea de quibus natura minus curat, minorem diligentiam exhibet, & de his citius se expedit. Cum ergo fœminæ, sit mas occasionatus, & minus sit cure de fęmina quàm de masculo, citius naturaliter deuenit ad suum complementum fęmina quàm mas: hoc est ergo quod Auicenna dicit nono de Animalibus, quod quando agens non intendit sollicite circa ordinationem, & fuerit materia multa, fit velociter effectus. Nam retardatio, vt ait, aut est ab agente, aut ex diminutione materiæ: vbi duas causas dedit circa citum complemẽtum corporis fęminę, videlicet, modicam sollicitudinem naturæ, vt quia circa talia cito se expedit, & abun-

dantiam

dantiam materiæ, ratione cuius possunt talia cito perfici: immò sicut dicimus, cum hoc quod est ibi materiæ abundantia, est etiã ibi obedientia, quia humidum est magis passiuum quàm siccum: & quod est magis passiuum, magis est agenti obediens: est etiam ibi & tertio minor sollicitudo agentis, siue naturæ, vt se expediat.

Quarta via, ad hoc idem sumitur ex acceleratione senectutis, vnde Philosophus in ix. de Animalibus dicit, ꝙ fęminæ post partum, crescunt cito; & sm̃ hoc, efficiunt vetule: post partum enim fęminæ idest postq̃ sunt extra vterũ, citiùs crescũt, quàm masculi, & citiùs seneścũt: cuius causa esse potest, quia humidũ in eis citiùs frigescit, & efficitur fleumaticũ, & tunc canescunt, & accipiunt seniles rugas, & dispositiones: præceteris tamen citiùs seneścunt, quæ multo vtuntur coitu, vt dicitur in nono de Animalibus: humidum ergo in quo magis abundat fęmina, quàm mas, & facit materiam magis obedientem agenti, quia minus resistit calori dilatanti, caro laxa & mollis, quàm habent fęminæ, quàm sicca & dura, quàm habent masculi, & etiam facit huiusmodi humidum, quod citius infrigidẽtur mulieres, & fiant fleumatice, & seneścãt, arguitur ergo sic ex hoc, quod citiùs venit ad senium citiùs venit ad complementum. Cum enim senium sit quasi vltima etas, quando illa acceleratur, præcedentes etiam ætates accelerantur: fœminæ ergo quæ citiùs seneścunt, quàm masculi, citiùs veniunt ad annos pubertatis, & citiùs perficiuntur secundũ corpus, quàm masculi.

Aduertendum autem quod propter causas tactas, fęminæ extra vterum, citius perficiuntur, quàm masculi. Et etiam hoc est, quod impedimenta in vtero, propter quæ tardiùs formabantur quàm masculi, sunt quodammodo ammota, cum sunt extra vterum, quia non sunt in calidiori parte extra vterum masculi quàm fęminæ sicut sunt cum sunt in vtero, etiam in fluxibilitas materiæ, vt non recipiat formam agentis, & caliditatem spermatis, & cętera huiusmodi extra vteruin, non sic habent locum, sicut in vtero. Aduertendum etiam, quod cum dicebatur de impura materia, non ita cito fieri effectum, sicut de pura, intelligendum est quantum ad formationem fœtus, cui formationi impuritas materiæ obsistit, cum non formetur, nisi de materia puriori: non autem oportet hoc intelligi quãtum ad purgationem fęminæ, quia forte propter molliciem materiæ, & labilitatem, citiùs purgatur mate. hãriens fęminam quàm masculum.

Frequentia coitus

CAPVT

CAPVT XIII.

Quod puer, siuè fętus triplici pellicula, siué triplici mẽbrana inuoluitur: quor. vna ẽ propter custodiã, altera propter custodiẽdas superfluitates, & immũditias, tertia vt per eam attrahat nutrimentum.

Sserit autem Auicenna in nono de Animalibus, quod natus circundatur triplicî membrana, quod dictum, vt intelligamus, sciendum quod primum, quod efficitur in generatione pueri, est quædam tela tenuis, ad modum telæ, quæ adheret teste oui. Et ideo à natura fit, ne exalet virtus, siue spiritus emissus cum spermate maris, & ne diuidantur ad inuicẽ partes ipsius spermatis, sed intra talem telam, huiusmodi sperma concluſum, & vnitum, sit fortius ad agendum, quia virtus vnita fortior est, se ipsa dispersa, ibi enim infra illam telam virtus spermatis maris, fit attractio purioris mẽstrui, vnde formatur fętus.

Quod autem oporteat talem telam dare circundatum fœtui, patet per philosophum in nono de Animalibus dicentem, quod si fœtus masculi in die xj. per aborsum ceciderit super terrã, dissoluetur, & corrumpetur; & si ceciderit in aqua frigida, inuenitur habens substantiam in tela: & si scindatur in illa tela, inuenitur embrio habens magnitudinem valde paruam: similiter & fęmina intra telam formatur, licet in maiori tempore. Quod autẽ huiusmodi tela sit, quasi ad modum oui, patet per eundem philosophum, qui circa finem, in nono de Animalibus vult, quod si ceciderit sperma, antequam figuretur, est simile humiditati oui contexti tela: tela ergo contexti pueri, assimilatur telæ contexti oui, vnum ergo iuuamentum istius telæ, est vt cancelatur custodia spermatis, ne dispergatur, & ne exaleet eius virtus, habet etiã

Tela pueri.

alia iuuamenta huiuſmodi tela, vt in procedendo patebit. Sed præter hanc telam, quæ eſt proxima puero, oportet dare aliam telam ſuperfluitates recipientem. Nam pueri nutriuntur hoc modo, quia per vmbelicum eius, quod eſt apertum, tranſmittitur hoc iuuamentum ad epar, vbi deputatur, vt vadat in nutrimentum membrorum, in qua depuratione, aliqua aquoſitas, quaſi aquoſitas vrinæ, reicitur. Si ergo huiuſmodi aquoſitas reciperetur infra illam telam, quę eſt proxima puero, quia huiuſmodi aquoſitas eſt acuta, & vrens, puerũ lederetur. Ingeniauit ergo natura, cauens leſioni pueri, prętet illam telam tenuem, in qua puer formatur, eſſe quendam aliam telam, in qua huiuſmodi ſuperfluitates reciperentur, nec oportet huiuſmodi telam circundare totum puerum, ſed cum puer in vtero ſtet curuatus, vt ait philoſophus in nono de Animalibus, ſufficit huiuſmodi telam quaſdam partes inferiores circumdare, quas circundans, huiuſmodi ſuperfluitates reciperet: vnde etiam Auicenna, ponit iuuamentum huiuſmodi pelliculæ, ne per huiuſmodi vrinam, exuratur puer. In hac ergo tela recipitur vrina, ſudor, & cætera acuta, quæ reſoluuntur à fętu, ne per talia acuta ledatur, habet forte hęc tela alios meatus, vnde ſe purgat, vt mulier prægnans per illos meatus, ſimul cum vrina, & aquoſitate propria, emittat aquoſitates illas.

Si autem quæratur, huiuſmodi aquoſitas reſoluta à puero, eſt quæ quaſi vrina vnde emittatur à puero, dicit Auicenna nono de Animalibus, quod emittitur per vmbelicum, volens quod huius vrinæ emiſſio, fiat per vmbelicum, & non ex inguine, quia tunc meatus inguinis, vt ait, ſunt valde anguſti. Dicemus ergo quod ſicut in nobis per os intrat alimentum, & ab ore exit ſaliua, quæ eſt ſuperfluitas aliqua in nobis reſoluta, ſic & puer in vtero per vmbelicum ſuggit ſanguinem, & ſuſcipit nutrimentum; & per vmbelicum, quod eſt ibi aquoſum, & ſuperfluum reicit ad telam illam, quæ eſt ſuſceptiua ſuperfluitatum. Sed præter has duas telas, quarũ vna cuſtodit totum circundans puerũ, alias ſuperfluitates reicit, partes inferiores inuoluens; eſt dare telam tertiam, per quam puer nutrimentũ ſuſcipit, quæ tela tertia dicitur ſerina, vt patet per philoſophũ circa finem nono de Animalibus.

Dicemus enim, quod ſicut fructus coniunguntur arboribus, & inde ſuſcipiunt nutrimentum per ſuccum, quem trahunt ex arbore; ſic puer coniungitur matrici dum eſt in vtero, & ex menſtruo matris quaſi ex ſucco arboris, ſuſcipit alimentum. Oportet

ergo

ergo dare aliqua ligamenta pueri ad matricem, ſicut ligatura fructus cum arbore: quæ ligamenta, philoſophus in nono de Animalibus vocat cothilidones ſicut cortex poteſt; huiuſmodi autem ligamenta, non poſſunt immediate continuari ad puerũ, quia tunc eſſet puer valde proximus matrici, cuius duricie ledere tur. Ingeminauit ergo natura facere tertiam telam, quæ totum inuoluit, & quæ eſt maior omnibus, quàm telam Auicenna nominat ſecundinam. In qua ſecundina, ſecundum Auicennam ſunt duæ telæ ſubtiles; itaque compoſita eſt ſecundina ex duabus ſubtilibus telis, inter quas ſunt venæ contextæ, per quas ſuggitur ſanguis à matrice. Iſta ergo ſecundina circundans puerum, & alias duas telas, habet ligamenta ad matricem, ſicut fructus ad arborem, per quæ ligamenta ſuggitur ſanguis, qui pergit per venas illas contextas; quæ venæ ſanguinem deferentes, pertingunt vſq; ad vmbilicum pueri: huiuſmodi ſanguis per vmbilicum pergit vſque ad epar pueri, vbi digeritur, & quod purum eſt, vadit in nutrimẽtum membrorum; quod autem aquoſum, & quaſi vrina, habet etiam meatum per vmbilicum, per quem meatum quaſi quædam reiicienda ſuperfluitas tranſmittitur ad telam illam, quę ſuperfluitatum eſt receptiua: fractis ergo ligamentis, & cochilidonibus, quod fit in exitu pueri ex vtero, puer naſcitur vmbilico aperto, quem oportet ligare, quia vt philoſophus, circa finẽ decimi de Animalibus ait, vmbilicus pueri debet ligari, quia ſi non ligaretur, exiret ſanguis, & moreretur fœtus.

His quidem enarratis, poſſumus cuilibet telæ iuuamenta narrare, tela enim illa quæ immediate attingit fœtum, poteſt dici armatura ſiuè cuſtodia, quæ quantum ad præſens ſpectat, habet triplex iuuamentum, ſecundum quod tripliciter cuſtodit: Nam in ſui primordio, primo cuſtodit ſperma, ne diſſoluatur, & ne exaltet, ex eo virtus, ſed vt vnitum, & concluſum, fortiorẽ actionem habeat. Secundum iuuamentum eſt, quod quando virtute ſpermatis, attracta eſt materia mẽſtrui, inter telam & iam formatus eſt fœtus, & incipit habere aliquas ſuperfluitates acutas, & vrentes. Iſta tela, quæ dicitur armatura, inter telam illam, quæ eſt ſuſceptiua ſuperfluitatum, & puerum, tenet ſuperfluitates illas vrentes, puerum vrere non valeant. Tertium autem iuuamentum eſt, quia cum tela ſuſceptiua ſuperfluitatum, non circundet totum puerum, ſed ſolum circonuoluat ipſum, quãtum ad partes inferiores; niſi eſſet iſta armatura circundans puerũ, puer ſalcem

Nutrimẽtum, & purgatio pueri.

ex parte ſuperiori immediate adhereret ſecundine, quæ quandam duritiam etiam habet, vnde lederetur puer, & etiam eſſet nimis propinquus matrici, à qua propter ſuam duriciem, lederetur: vnde & Auicenna nono de Animalibus ait, ſic de huiuſmodi tela, quod facta eſt vt puer elongetur à ſuperficie matricis, & ne ledatur à membrana dura: hoc itaque armatura cuſtodit ſperma, ne exalet, cuſtodit puerum, ne purgatur à ſuperfluitatibus acutis; cuſtodit ipſum ne ledatur, à membrana dura, & à matrice.

Iuuamenta autem aliarum telarum patet, quia iuuamentum tale ſuperfluitatem recipientis. eſt ne ledatur fœtus, & ne ledatur ſecundina. Nam ſi non eſſet huius tela, illę ſuperfluitates vrentes, vel reciperentur intra tenuem, & tunc lederetur puer, vel intra ſecundinam, & tunc lederetur ſecundina, vbi eſſet maius periculum; quia ibi ſunt venæ contextę, habentes coniunctionem ad vmbilicum, per quas attrahatur alimentum ad puerum, quibus leſis, lederetur, & puer. Iuuamentum etiam tertiæ telæ, eſt quia habet ligamentum ad ramum, vt inde attrahatur nutrimentum ab arbore ad pomum: ſic ex ſecundina, habet cochilidones, ſiuè ligamenta ad matricem, quibus modo quo dictum eſt, attrahitur nutrimentum ad puerum. Et ſicut quando pomum eſt iam completum, & non indiget plus humore arboris, diſſoluitur ligamentum, ſiuè dirumpitur, & tunc cadit pomum ex arbore, ſic quando completus eſt fœtus, & non plus indiget humore matris, tunc rumpuntur huiuſmodi cochilidones, & ligamenta, & puer ſecundum Auicenna quaſi equitat ſuper plantas ſuas, & ſcindit telam; ex qua ſciſſura, humores quidam egrediuntur, lenificantes membra fœminea, vt poſſit facilius exire fœtus: quo facto, cadit fœtus ab vtero matricis ſicut pomum ab arbore.

Ligamenta puerũ.

Dubitatur tamen in hac materia, vnde oriantur huius ligamẽta, & cochilidones. Ad quod dixerunt aliqui, quod oriuntur à matrice; attendentes, quod ligamenta pomorum, oriuntur ab arbore. Sed non eſt ſimile de arbore, & matrice, quia non ſunt ſic perfecte diſtincte per maſculinum, & fœmininum arbores, ſicut ſunt diſtincta animalia, & potiſſime perfecta: vnde in ipſo arbore eſt virtus informatiua, virtute cuius ex ſucco arboris, fiunt folia cooperimenta fructus, & fiunt cochilide, ſiuè ligamenta, per quæ fructus coniungitur arboribus, & trahitur alimentum ad ipſum fructum, vnde nutriatur, & perficiatur: ſed in animalibus habentibus naturas diſtinctas, & corpora diſtincta, vt patet per philo-

philosophum in xv. distinctum est ibi actiuum & passiuum, quia quod dat mas, est actiuum tantũ, quod vero dat fœmina est quid passiuũ, & habet se, vt materia: propter quod sperma maris solum se habet, vt actiuum, & vt omnia faciens, menstruũ fœminę solum se habet, vt passiuum, & vt omnia fieri. Sicut ergo per succum arboris, qui est omnia fieri mediante virtute informatiua in arbore, qui est omnia facere, fiunt folia, quæ sunt cooperimenta fructuum, & ligamenta, & sumitur inde materia, & nutrimentum fructus, sic in virtute seminis, vel spermatis maris, vbi sunt spiritus vndique perforantes, & toti materiæ dominãtes, ex menstruo fœminæ fiunt telæ, quæ sunt cooperimenta fœtus; & cochilidones, quæ sunt ligamenta, & ex tali menstruo nutritur, & maturatur fœtus.

CAPVT XIV.

Quod in embrione, primo formantur membra principalia, videlicet, cor, epar, & cerebrum: inter quę omnino primo formatur cor.

PHilosophus in xvj. de Animalibus, improbat opinionem Democriti dicentis, quod membra interiora fieri possunt exteriora: volebat enim Democritus, quod prius natura faceret membra exteriora: sed secundum philosophum Democritus, sic loquebatur, de animali vero, sicut loqueretur de animali ligneo, aut lapideo, quod est equiuoce animal, & quod non habet omnino principium motus ex se. Cum ergo animal verum habeat principium motus ex se, oportet quod in huiusmodi animali, prius fiat illud membrum, à quo est principium motus, per cuius motum habent omnia alia membra, quod moueantur, cuiusmo-

iusmodi est cor. Dicimus enim quod ly animal est quasi quoddam vniuersum, vt sicut in toto vniuerso (secundum hunc ordinem quem videmus) est dare aliquid quod nunquam à motu cessat, per cuius motum fit motus in rebus alijs: sic in animali est dare cor, quod semper mouetur secundum diastolē idest secundum dilatationem, & constrictionem, secundum pulsum, & tractum; per cuius motum habere esse motus in omnibus alijs membris; ideo cor est primum, quod formatur in embrione: cor enim vt dicitur in xvj. de Animalibus, est quod primo formatur, & primo viuit, & vltimo moritur, sed cum membra principalia sunt, etiam epar, & cerebrum, licet ista aliquo modo principientur à corde, oportet formationi cordis, esse annexam formationem æpatis & cerebri: quæ tria dicuntur membra principalia, propter triplicem spiritum dominantem in corpore animalis, vitalem, scilicet naturalem, & animalem, nec sic intelligimus quod cor solum principaliter habeat spiritum vitalem, & non naturalem, & animalē: immò omnia hæc principaliter habet, sed quia vt diximus, vitalem habet proprium sibi; quia venæ pulsatiles sunt propriæ cordis, naturalem autem comunicat æpati, vel in hoc sibi seruit æpar; animalem comunicat cerebro, vel in hoc sibi deseruit cerebrum, ideo spiritus vitalis, appropriatus est cordi, naturalis æpati, animalis cerebro. Quod si hoc habent æpar, & cerebrum à corde, dignum est vt cor sit primum membrum, & subsequentia sint æpar, & cerebrum.

Sed dicet aliquis, quod assignabitur quartū principale membrum, quia est dare quartum, spiritum scilicèt formatū, qui scilicèt principaliter competit cordi. Et in hac actione, deseruiunt cordi testes, sicut in nutriendo æpar, & in sentiendo cerebrum. Ad quod dici poterit, quod sicut semen est superfluum alimenti, non superfluum simpliciter; quia non est superfluum speciei, sed individuo, sic virtus formatiua, in qua seruiunt testes cordi, data est animalibus ad conseruationem speciei, magis quàm propter indigentiam individui. Et quia ea quæ sunt ad nos, priora sunt his quæ sunt ad alterum, quia vt dicitur in Ethycis, ea quæ sunt ad alterum, sumunt originem ab his, quæ sunt ad nos ipsos, dicere possumus, quod si testes sunt membrū principale propter conseruationem speciei, non oportet quod prius formentur, vel quod sint de primis formatis; sed primò oportet formari cor, æpar, & cerebrum, quibus primo necessario indiget animal, &

quæ

quæ facta sunt propter indigentiam indiuidui : postea oportet formari testes, quæ sint ad supplendam indigentiam speciei, vt conseruetur species : vt possimus dicere statim cum incipiunt formari membra, indiget fœtus corde, æpate, & cerebro: corde quidem indiget, quia illud est primum membrum, & sine eo non possunt habere operationes suas alia membra. *Testes.*

Est enim primum in animali, quod mouet motum, ideo nunquam cessat à motu, sicut & cœlum, quod in vniuerso est; vnde mouens motum, nunquam cessat à motu, propter quod sicut motus cœli, est causa omnium aliorum motuum, ita quod si ille motus cessaret, cessarent omnes alij motus, ita in animalibus habentibus sanguinem, siue habentibus cor, semper est cor in continuo motu, vt motus & operatio cordis, sit causa operationum omnium aliorum membrorum; & si ad horam cessaret cor à suo motu, & à sua operatione, statim deficeret animal. oportet ergo primo formari cor : oportet etiam quod de primis formatis, sit æpar, quia statim cum incipiunt formari membra, indiget fœtus nutrimento, quod potissime fit per æpar. Et nisi esset quod æpar non potest habere operationem suam, sine operatione cordis, quia principalius est virtus nutritiua in corde, quam in æpate, vel æqualiter, esset rationalis opinio, de quo, hoc posito, non esset primum membrum formatum cor, sed potius æpar, cum hoc sit primum, quo indiget fœtus scilicet nutrimentum : sed tamen merito primum membrum formatum est cor, quia in hac prima operatione, quæ est nutrire, principalitatem habet cor, & æpar sub seruit sibi.

Vel possumus dicere, & melius, quod cum distinguitur triplex spiritus ingeneratus à natura, propter necessitatem indiuidui, videlicèt, naturalis, animalis, & vitalis; & quartus spiritus ponatur ingeniatus à natura, qui dicitur formatiuus, qui emittitur cum semine, & qui radicaliter est in corde, consumatiuè est in testibus, quia in spiritu formatiuo deseruiunt testes cordi, dicere possumus, quod respectu illius triplicis spiritus ingeniati à natura, propter indigentiam indiuidui, spiritus vitalis principalitatẽ habet, vnde & huiusmodi actus, q̃ dicitur viuere, qui exprimitur per venas pulsatiles, magis est continuus, quàm quicunque alius actus, & per consequens magis primus, & principalis : vnde Auerroes dicit in secundo sui Colliberi, in hoc consistere directionem cordis.

Dupli-

Cor primo formatũ.

Dupliciter ergo cor est formatum primo, quam epar, tùm quiâ spiritus vitalis, est principalior in animali, quàm nutritiuus, siuè naturalis, tùm etiam quia in ipso actu nutriendi, cor principalitatem habet respectu eparis, erit itaque, vt prius diximus, primo formatum cor. Epar autem non est primo formatum, sed est de primis formatis, quia inter prima opera computatur ipsa nutritio: sic etiam cerebrum est de primis formatis, quia cerebro appropriatur tertius principalis spiritus, videlicèt animalis, siuè sensibilis: ita quod ista tria membra, erunt primo formata, videlicèt cor, epar, & cerebrũ, quibus appropriantur illi tres spiritus principales, inter quæ primo formata, cor principalitatem habet, vt dicatur cor primo formatum. Reliqua vero, suæ generationis principia in corde sumunt, quod sic Auicenna in nono de Animalibus declarat, volens quod omnia ista tria membra formentur ex sanguine, sed in sanguine est dare quasi tria, videlicet aliquid, q̃ est subtile: aliquid quod est quasi grossum, & accensum: aliquid quod est quasi fleumaticum, & frigidum. Nam fleuma à sanguine non differt secundũ Auerroẽ in secundo sui Colliberi, nisi quia est indigestus sanguis. Formabitur ergo cor, ex eo quod est ibi subtile, epar, ex eo, quod est grossum, & accensum: cerebrum ex eo quod est quasi fleumaticum, & frigidũ: propter quod epar, & cerebrum sunt quasi quædam superfluitates nutrimenti cordis, & generationis eius, quia sanguis grossus, & accensus: & humor fleumaticus, & frigidus, ex quibus generatur epar, & cerebrum, sunt quasi superfluitates sanguinis subtilis, & puri, ex quo generatur cor. Et quia superfluitates debentur deriuari ex eo, cuius est superfluitas, epar, & cerebrum debentur deriuari à corde, & debentur inde sumere suæ generationis principium.

Nec obstat si quis obiiceret, sic se habentibus rebus, impossibile esset, quod cerebrum sit in superiori parte, cum humore grosso, fleumatico, & quasi frigido, locus infimus competat, non supremus: dicemus enim, vt superius dicebatur, quod aliquid cõpetit organo, vt quædam res est: aliquid vt instrumentum est; spiritus enim informatiuus, siue spiritus, in quo est virtus informatiua, emissus cum spermate maris, est organum ipsius animæ matris, agens in virtute eius, organizans menstruum secundum, quod ipsa requirit: eius autem spiritus, vt quædam res est, non habet quod feratur, nisi sursum, quia est quid subtile, vel calidum; sed vt est organum animæ, tunc fertur in omni parte; sursum quidem

& de-

& deorsum, sinistrorsum, dextrorsum, antrorsum, & retrorsum, secundum quod vbique requiritur organizatio.

Fertur ergo huiusmodi spiritus dupliciter sursum, videlicèt, vt quędã tes est, quia est quid subtile, & calidum, & vt organũ animæ est, quia etiam in superiori parte embrionis requirit anima, quod fiat organizatio. In alias autem partes non fertur, nisi vt organum tantum, multo ergo vehementiùs huiusmodi spiritus, fertur sursum, vbi fertur vt organum, & vt res, quàm in partes alias, vbi solùm fertur, vt organum. Et quia sic vehementer fertur sursum, propter huiusmodi vehementiam, humorem illum quantumcumque fleumaticum, & frigidum, ex quo constituitur cerebrum, poterit sursum impellere, vt ibi superius, ex huiusmodi humore generetur cerebrũ, & ibi etiam situetur: vnde & Auicenna loquens de huiusmodi mẽbris, & de sanguine, ex quo fiũt, dicit, quod id quod est multum subtilius, est quasi cor, epar autẽ vt dicit, est quasi ex superfluitate nutrimenti cordis, ideo vt ait, cor est principium generationis epatis. Et subdit quod medulla habet generationem, non ex sanguine subtili, & bono, sed ex eo ꝙ est, quasi fleuma, & tunc, vt ait, veniunt ad complementum cor, medulla idest cerebrum, & epar. Et idem in eodem dicit, quod ista tria indigent certo situ, & quod Creator posuit illa in loco competenti, & prout fuit necessarium, quod spiritus exiret, aut se competenti. Nam ista tria dicuntur esse vasa trium spirituum, vt cor sit vas spiritus vitalis, epar naturalis, cerebrum animalis, ideo cordi datur locus medius, vt possit competentius in omnia membra vitam influere. Epati locus dexter, vt in calidiori loco exẽdens, possit opera nutritionis, quæ attribuit spiritui naturali, efficacius exercere; cerebro autem locus superior, vt sensus ab eo deriuari possint, & à remotis rerum habere notitiam: hæc autem tria membra, vt idem Auicenna innuit in nono de Animalibus, sic generantur, quia epar in sui primordio respectu aliorum duorum membrorum, videlicèt, cordis, & cerebri, inuenitur multum magnum, quia illo tempore multum indiget fœtus operatione epatis, cùm ad ipsum spectet sanguinem segregare, distribuere, & ad nutrimentum membrorum operari: materia autem cerebri, inuenitur tunc temporis valde parua, quia multum non indiget tunc embrio sensu, & motu: materia autem cordis, inuenitur esse prima, & magis constans, vt in ipsa contineatur, & restauretur spiritus, cuius virtute tota machina corporis gubernatur. Cerebrum

Est itaque cor primum membrum formatum, & faciet ad generationem omnium aliorum membrorum, sicut primum facit ad esse omnium aliorum. Spiritus igitur exiens cum semine patris, in quo est virtus informatiua, est medius inter cor patris generantis, & cor pueri geniti: nam à corde patris generantis efficitur, & causatur; sed à corde pueri geniti, nō efficitur, nec causatur, sed magis ipsum causat, & efficit, ꝓpter quod huiusmodi spiritus & est organum cordis patris, in quantum in virtute eius habet ꝙ agat, & est principale agens respectu cordis pueri geniti, inquantum format huius cor, per quod tanquam per suum instrumentū aliquo modo iuuatur ad formationem aliorum membrorum. Nam postꝙ huiusmodi spiritus formauit cor ex puro sanguine, iuuatur ex hoc, vt formet epar, & cerebrum ex superfluitate nutrimenti cordis. Nā huiusmodi superfluitates, modo quo dictū est: vel diximus, sunt materia epatis, & cerebri, aliquo ergo modo deriuātur à corde, epar, & cerebrum cum sint superfluitates nutrimenti eius. Et in quantum deriuatur ab eo, habet cor aliquā rationem principij respectu eorum, aliquo modo subseruit virtuti informatiue ad formationem talium membrorum. Et quod dictum est de epate, & cerebro respectu cordis, veritatem habet de omnibus alijs membris; quia non solum cor habet rationem principij respectu epatis, & cerebri, sed etiam respectu omnium membrorum: licèt in hoc subseruiat spiritui, qui exit cum se mine maris, in quo est virtus informatiua; quia ille est, qui penetrat, & perforat; ille est, qui format cor, epar, & cerebrum ille est qui format cor, epar, & cerebrum; ille est qui formato epate, penetrat & perforat materiam ante ipsum, vt faciat viam venarum; ille est qui formato cerebro, facit vias neruorum motiuorum, & sensibilium, quę à cerebro deriuantur; ille est qui principaliter omnia mēbra organizat, & format, licet ordine quodam, secundum quod requirit naturæ opus. Erunt itaque cor, epar, & cerebrum, primo formata, inter quæ primo formatur cor.

Pulmo autem non oportet, quod computetur inter primo formata, vt dicit Auicenna in nono de Animalibus, quod pueri non respirant; ex qua vero respiratione Auicenna assignat causam caloris pulmonis in sua creatione, volens ꝙ huiusmodi pulmo, cibat se sanguine rubeo, subtili, & est valde rubeus in sui principio sed cum puer incipit respirare, ratio quia miscetur aer cum pulmone, attractus per ipsum ex illa immixtione aeris, pulmo qui est

quasi

quasi spongia aeris receptiua, dealbatur p huiusmodi susceptionē aeris. Si ergo pulmo sui primordio non habet suam operationē, & puer non indiget in sui primordio operatione pulmonis, indiget autem corde, epate, & cerebro, ideo non computatur pulmo inter primo formata: sed hæc tria dicentur formata primo, quia vt patet, puer in sui primordio non indiget operatione testium, ideo testes inter primo formata computari non debent.

Sed dicet aliquis, quod puer in sui primordio, non indiget cerebro; quia non indiget, vt videtur, sensu, & motu, propter quod non erunt ibi duo membra primo formata, scilicèt cor, & epar. Dicemus ergo, quod puer in sui primordio, indiget nutrimento: non quolibet, sed nutrimento, quo nutritur animal: cum cor sit principium non cuiuslibet corporis animati, sed corporis animal, nec etiam omnia animalia habent cor, licet omnia habeant cor, vel aliquid loco cordis. Non autem potest embrio pueri viuere vita animalis, sine his tribus membris, corde, epate, & cerebro: quia animalis vita requirit spiritum vitalem, naturalem, & animalem: non ergo posset epar nutrire, nutrimento quo nutritur animal sine cerebro, vbi viget spiritus sensibilis, cum animal sit animal propter sensum, nutrimentum ergo quo nutritur animal, non est sine cerebro, sed vt patet, non est sic de pulmone: indiget itaque fœtus in sui primordio cerebro, vt nutriatur nutrimento, quo nutritur animal, non autem sic indiget pulmone: propter quod merito potest sumi causa, licèt & aliquæ aliæ causæ possent assignari, quare illa tria membra ante omnia membra, debentur esse formata.

Concludit quidem ratio facta, quod in principio materia cerebri sit valde parua; quia non multum tunc indiget puer sensu, & motu: sed non concludit, quod sit nulla, tum quia formatur cerebrum de superfluo nutrimenti cordis, sicut & epar; licèt epar fiat de superfluitate, quasi adusta; cerebrum vero de superfluitate fleumatica, & frigida: attamen quia fit de superfluitate cordis, sicut & epar, numeratur inter primo formata sicut & epar: tum etiam quia in cerebro viget spiritus animalis, & sensibilis, propter quod si animal requirit, quod sit quid sensibile statim ad formationē cordis, & epatis, quæ non sunt organa nisi animalis, oportet annexam esse formationem cerebri: aduertendum tamen, vt Auicenna innuit in nono de Animalibus, quod licet materia cerebri in sui primordio sit parua, tamen cum incipiunt formari membra

bra alia; inuenitur caput magnum valde respectu aliorum membrorum, quod huiusmodi caput, vt ait, necessariũ est, vt ex eo post nascantur multa alia membra. Ratione enim organorum sensuum, & neruorum motiuorum, facit cerebrum ad generationem multorum aliorum membrorum.

CAPVT XV.

Quomodo formatur fœtus humanus in vtero, & de tempore formationis eius.

QVantum autem ad modum formationis fœtus humani in vtero; satis doctores conueniunt, quod primo huiusmodi fœtus sit albus, quasi lac, vel butirũ: postea sit rubeus, quasi sanguis: postea sit compactus, quasi caro, vltimo autem ibi membrana formatur, sed de tempore harũ formationum, magna discordia inuenitur, & potissimè quantum ad formationem membrorum, vult enim Augu. 83. q. q. 54. quod in quadraginta quinq; diebus sit puer totaliter formatus, & organizatus, dicit quod huiusmodi fœtus formãdus, primis sex diebus habet quasi similitudine lactis: sequentibus nouem diebus, conuertitur sanguinem: deinde & duodecim diebus consolidatur quasi caro, decem & octo reliquis diebus formatur vsque ad perfecta ligamenta omnium membrorum: quæ omnia simul iuncta faciunt quadragintaquinque, vt in tanto tẽpore, secundum Augustinum formatur puer.

Philosophus autem in nono de Animalibus dicit quod si fœtus mas quadragesimo die per aborsum ceciderit super terram, dissoluetur, & corrumpetur: & si ceciderit super aquam frigidam; inuenietur habens substantiam inuolutam in tela, quæ scissa videbitur habens omnia membra eius creata, & distincta, propter quod videtur velle Philosophus, quod in quadraginta diebus formetur puer masculus; licèt plus temporis requirat formatio fœminæ. Quædam autem glossa super Leuitici xij. vbi habetur, quod mulier pariens masculũ immũda erat quadraginta diebus:

Fœtus quanto tẽpore formetur.

pariens

pariens autem fęminam octoaginta dicit, quod maſculus formatur in tanto tempore, ſcilicèt in quadraginta diebus, fęmina autẽ in duplo tempore, videlicèt in octoaginta diebus, Philoſophus autem in nono de animalibus, formationi fæminæ ſuperaddit decem dies, ponens formationem eius ſcilicèt in nonaginta diebus, quod eſt tempus trium menſium, & etiam vltra volens, quod partus fæmineus debeat aliquid tangere de quarto menſe, ad hoc quod poſſit apparere formatus.

In quoddam autem libro medicorum, qui intitulatur de ſpermate, dicetur quod mas formatur in triginta diebus, fæmina in quadraginta non dans formationem fæminæ, vltra formationem maſculi, niſi decem dies. Quæ omnia, vt appareant, dicamus cũ Auicenna in nono de Animalibus, quod iſta quinta, vel iſti quinq; modi, ſe habent per ordinem. Primus modus eſt, quia fœtus ſe habet in principio quaſi butirũ. Secũdus modus, ꝙ aſſimilatur ſanguini. Tertius modus, quod coagulatur, & fit quaſi res maſticata, & quaſi caro. Quartus modus, quia fiunt principalia membra, quæ ſunt vaſa ſpirituum, cor ſcilicèt epar, & cerebrum. Quintus autem modus, quod vltimo fiunt extremitates, pedes, & manus, quæ omnia quantum ad tempus, ſm̃ eundem Auicennã ibidem, hoc ordine fiunt, quia per ſex dies, apparet ibi, quaſi lac ſpumoſum, poſtea poſt tres dies, ideſt, poſt nonum diem apparẽt ibi guttæ rubeæ in ſanguine, & fila rubea ſanguinea, ſed nondum apparet totus ſanguis. Sed poſtea poſt ſex alios dies, quod eſt decima quinta die, apparebit quaſi ſanguis coagulatus; ſed nondum apparebit ſicut caro, dicit tamen Auicenna, quod prima operatio, quando nona die apparent guttæ rubeæ, & fila rubea, aliquando anterioratur, aliquando poſterioratur per vnum diem.

Secunda autem operatio, quando decima quinta die apparet ſanguis coagulatus, aliquando anterioratur, aliquando poſterioratur per duas dies, & ſubdit idem Auicenna, quod poſt duodecim dies in vigeſima ſeptima die, ille sãguis coagulatus apparet, quaſi caro, & cognoſcuntur ibi tria membra, cor, epar, & cerebrum, & nucha, quę eſt medulla deſcendens per collum, & ſpondilia, habens vniones ad cerebrum, & quę ſecundum ipſum incipit extendi: ait autem Auicenna, quod hoc etiam aliquando anterioratur, aliquando retardatur per duos dies, vſque huc ergo ſatis concordant hæc dicta cum Augu. quod per ſex dies eſt lac, per nouem ſanguis; ita quod non eſt complete ſanguis vſque ad

quid apparet prius.

quinde-

quíndecim dies, quia poſt ſex dies quando eſt quaſi lac, vt fiat complete ſanguis, ſuperaddit ipſe Auguſt. nouem dies. Incipiũt tamen in nona die antequam fiat complete ſanguis, apparere quędam guttæ rubeæ, & quædam fila rubea, per duodecim autẽ dies poſt quindecim præfatos dies, quod eſt in vigeſima ſeptima die, conſolidatur vt caro; & ex tunc incipiunt apparere principalia membra. Quantum itaque ad formationem lactis, ſanguis, & carnis, ſatis eſt concordia: ſed quantum ad formationem mẽbrorum ceterorum, magna videtur eſſe diſcordia. Nam Augu. formationi membrorum, videtur dare decem, & octo dies, ita quod ſecundum eum, totũ fætus completur in quadraginta quinque diebus, quia ſi decem, & nouem addantur ad viginti ſeptem faciunt quadragintaquinque. Auicenna autem formationi mẽbrorum, dat nouem dies, vel treſdecim ad plus. Et quando formantur membra in nouem diebus, fœtus in triginta ſex diebus formatur. Quando in treſdecim fit, formatur in quadraginta diebus vnde dicit Auicenna, quod poſtquam vigintiſeptem dies apparet caro, & apparent principalia membra poſt dies nouem diuiditur caput à ſpatulis, & cognoſcuntur ibi extremitates laterũ, & cognoſcitur ibi venter, & ſic formatur fœtus in triginta ſex diebus.

Sed oportet hoc inteiligi, quod hoc aliquando anterioratur per vnum diem, ita quod non ponuntur ibi octo dies ad hoc faciendum: addit autem Auicenna, quod in aliquibus fętibus hoc latet, quod non apparet ibi diſtinctio perfecta, vſque poſt quattuor dies, qui ſi addatur ad nouem faciunt treſdecim, quia additi ad viginti ſeptem faciunt quadraginta, vnde concludit Auicenna, quod formatio fœtus, ad minus eſt in triginta diebus: ad plus in quadraginta: medio autem modo in triginta tribus, vel etiam in triginta quinque.

Prætermiſſa itaque apparentia lactis, quæ eſt in ſex diebus, dicemus quod in nono die, vel in tertia die poſt illos ſex dies, apparent guttæ, & venæ ſanguis. Et quia hoc poteſt anteriorari, vel poſteriorari per vnum diem, poterunt tales venæ, & guttæ apparere in octaua die, vel in decima poſtea poſt octo dies, totus ſit ſanguis. Et quia non poteſt anteriorari, vel poſteriorari per duos dies, ideò poſt illos nouem dies, in quibus incipiunt apparere guttæ, & venæ ſanguis, huiuſmodi factio ſanguinis, aliquãdo perfecta completur in quattuor diebus, aliquando in ſex, aliquando

quando in octo. Rursus consolidatur postea in carnem in duodecim diebus. Et quia vt Auicenna dicit, hoc potest anteriorari, vel posteriorari per duos dies; ideò consolidatio carnis, aliquando fit in decem diebus, aliquído in duodecim, aliquando in tresdecim: formatio vero membrorum, quę aliquando fit in nouem diebus, aliquando subtracto vno in octo, aliquando superaddit quattuor in tresdecim, ideò secundum hanc anteriorationem, & posteriorationem, possumus omnes diuersitates saluare, vt si accipiantur semper minores numeri, tota formatio est in triginta diebus. Nam in octo diebus apparebunt fila rubea, & guttæ rubeæ in quattuor diebus. Sed totus sanguis in decem diebus consolidabitur in carnem. In octo diebus formabuntur membra, quæ omnia simul sumpta faciunt triginta. Si verò accipiatur medius numerus, secundum formationem linearum rubearum, sanguinis, & carnis, & maior numerus secundum formationem mẽbrorum, tota formatio complebitur in quadraginta diebus. Nam medius numerus formationis linearum rubearum, sunt nouem dies, formationis sanguinis sex formationis carnis, duodecim, qui sunt viginti septem, quibus additis tresdecim, qui est maior numerus formationis membrorum, faciunt quadraginta.

Cum ergo dicit Auicenna, quod ad minus formatur fœtus in xxx. diebus, intelligendum est illud minus secundúm omnem formationem, quia si cuiuslibet formationis tàm venarũ rubearum, quàm sanguinis, & aliorum accipiatur, minor numerus erit xxx. dies. Sed quando dicit, quod ad plus formatur in quadraginta non est intelligendum illud plus secundum formationem membrorum, vt accepto formationis medio numero linearum rubearum, & sanguis, & carnis, qui sunt xxvij. dies, & addito maiori numero formationis membrorum, qui secundum Auicen. sunt xiij. dies ascendet numerus dierum ad quadraginta dies hoc ergo modo verificatur, quod ad plus formatur, puer in quadraginta diebus. Sed si accipiatur maior numerus secundum omnes formationes, sic verificabitur dictum August. videlicèt, quod formatio pueri fit in quadragintaquinq; dieb⁹. Nã cũ medius numerus formationis venarum rubearum, sanguinis, & carnis sit xxvij. dierum, cum hoc possit posteriorari per v. dies, quia aliquando formatio venarum rubearum, posterioratur per vnum diem. Sanguinis per ij. & carnis per ij. si addantur v. ad xxvij. in quibus v. possunt posteriorari, illę tres conformationes venarum

rum rubearum ſanguinis, & carnis, & poſtea addantur treſdecim quæ ſecundum Auicennam eſt longior formatio membrorum viginti ſeptem, ſcilicèt quinque, & treſdecim faciunt quadraginta quinque numerum ab Augu. datum. In hoc ergo differt dictum Auguſtini à dicto Auicennæ, quia iſtos quinque dies ſuperaddit Auguſt. ad treſdecim dies, in quibus treſdecim diebus, ponit Auicenna formari membrum: nam Auguſt. hoc ponit in decem, & octo; Auicenna vero illos quinque dies attribuit poſteriori formationi membrorum, venarum rubearum ſanguis, & carnis.

D. Aug. Auicennæ opinio

Quod vero dicebatur de fęmina, quod poſterioratur formatio eius per decem dies, vt ſi mas ad minus formatur in triginta diebus, fęmina ad minus formabitur in quadraginta. Et ſi mas ad plus formatur in quadraginta quinq; diebus, vel in quadraginta ſm̃ aliam, & aliam cõputationem, fęmina ad plus formabitur in xl. diebus, vel in quinquaginta. Quod dictum videtur repugnare dicto Philoſophi, qui in de animalibus videtur velle, quod non formatur fęmina ante octuaginta dies. Immo ſecundum eum ſi fiat aborſus fęminæ, & nõ attigerit aliquid de quarto menſe, vt apparebit formata.

Quod dictum ſic poſſumus cum alio dicto concordare, quod quædam ſunt ita labilia, quæ non tenent formam impreſſam, niſi ad pręſentiam imprimentis; ſicut ſi ponatur ſigillum in aqua, ſuſcipiet aqua formam ſig lli, ſed non retinebit eam, niſi pręſente ſigillo: propter quod in propoſito dicere poſſumus, quod formatio fæminæ, poſterioratur, poſt formationem maſculi per decem dies, quaſi ſit labilis, & fluxibilis materia illa, vbi imprimitur talis forma, quæ non poteſt ea retinere, niſi in matrice ad pręſentiã agentis, vt ad pręſentiam ſeminis maris. Sed ſi deberet eſſe huiuſmodi formatio ſic ſolidata, quod poſſit per aborſum ſaltem in aqua frigida apparere, oportet quod compleuerit duos menſes, quæ ſunt nonaginta dies, vel etiam quod aliquid tetigerit de quarto menſe, vt videtur ſentire philoſophus in nono de Animalibus: non eſt ergo ſimile de formatione maſculi, & fæminæ. Nam quia formatio, & lineatio maſculi, fit in materia magis cõpacta, & magis ſicca, ideò ſtatim cũm facta eſt talis formatio, poterit fœtus retinere talem formationem, ſi non labatur in terram, ſed fundatur ſuper aquam frigidam; ſed formatio fæminæ, hoc non poteſt propter labilitatem materiæ; ſecundum quos modos tactos, controuerſiæ quælibet ſolui poſſunt. Aduertendum aũt

formatio fœtus.

quod

quod cum dicebamus ſupra, quod in viginti ſeptem, quando compacta, & formata eſt caro, tunc apparent principalia membra, cor, epar, & cerebrum, intelligendum de huiuſmodi membris quaſi completis, & perfectis; quia quantum ad quędam coactionem horum membrorum, etiam cum fœtus eſt quaſi lac ſpumoſum, iam incipiunt apparere loca horum membrorum; ſtatim enim ibi apparent, quaſi tres ampullę, quaſi tria loca illorum trium membrorum. Sic enim eſt curæ naturæ de illis tribus mẽbris, vt ſtatim à principio, quando adhuc eſt quaſi lac, incipiat facere ampullas in locis illis, vbi debent illa tria membra ſituari, de modo itaque formationis pueri, & etiam de tempore, hæc dicta ſint.

CAPVT XVI.

Quo agitur, in quo tempore ſit hominis partus, & quare tempus, & terminus pariendi magis diuerſificatur in homine, quam in animalibus alijs.

OMnia quaſi animalia, vt dicit philoſophus nono de Animalibus, habent vnum terminum pariendi. Solus autem homo, vt ait, habet diuerſos terminos, quia quidam pariuntur in menſe ſeptimo. In maiori autem parte ideſt vt plurimum, ſi partus in nono menſe, vt idẽ Philoſophus ait. Quidam autem intrant mẽſem decem Auicenna autem in nono de Animalibus, recitat de muliere quædam, quæ peperit poſt decimum tertium menſem. Philoſophus tamen in nono de Animalibus vult, quod mulieres, vt plurimum errant, vel debentur errare, quando vltra nouem menſes portant; vtrumque tamen verum eſt. Nam multoties mulieres errant in computando, quia contingit aliquando, quod matrix attrahit proprium ſperma, & claudit ſe ſuper ipſum, & quia inutile eſt tale ſperma ad generationem, licẽt propter calidi-

tatem matricis, & clauſuram eius poſſit adhuc ibi aliquid attrahi, & re ineri, vt in hoc mulier ſe impregnatam putet, non tamē impregnata eſt, ſi poſtmodum huiuſmodi mulier, vtatur viro, & matrix euomat, quod in ſe habet, & attrahat ſperma viri, & matrix euomat, & ex hoc concipiat, computabit forte mulier impregnationem fuiſſe factam in tempore priori, non autem in tempore, in quo facta fuit: ideo computant, quod puer fuerit pluri tēpore in matrice, quam fuerit. Poteſt enim contingere, quod vir ſit valde frigidus, vel valde tardus ad emittendū ſemen; propter quod poteſt contingere, quod mulier prius emittat ſperma, quod emiſſum trahatur à matrice, & ex hoc ſe concepiſſe putat, & ſic accidat error: aliquando tamen accidit, quod vltra nouem menſes portant. Nam & ſi talis error poteſt accidere in illis, quæ poſt impregnationem, vel poſtquam ſe impregnatas eſſe credunt, iterum ſe copulant viro. In alijs autem ſe non copulantibus, talis error eſſe non poteſt, vt ex hoc certitudinem habere poſſit mulier de impregnationis tempore.

Multę ergo pariunt in nono menſe, & errantes credunt ſe plus in vtero portaſſe, & multæ ſecundum veritatem vltra illum terminum portant: minor ergo terminus eſt ſeptem menſium, ita quod ante nati (ſecundum philoſophum) nullo modo viuunt, communis autem terminus eſt nouem menſium, portant tamen aliquando vltra nouem. Recitat enim doctor quidam, quod cū quædam mulier honeſta, & fide digna, peperiſſet filium magnæ quantitatis; & ipſe miraretur de magnitudine eius, aſſeruit illa ſibi, quod vltra nouem menſes eum in ventre portauerat. Septimus itaque menſis, ſic eſt tempus minor partus: poſſunt tamen viuere homines, & ſi non compleuerint ſeptem menſes in vtero; ſed tales imperfecti valde naſcuntur, ita quod ſic nati, poros, & vias ſenſuum, potiſſimè nares, & auriculas habent valde paruas; ſed ſi vixerint, tales viæ ampliabnntur: vnde tales inuolui debēt in pannis lineis mollibus, vt Philoſophus tradit in nono, addit autem pannos illos, non ſolum debere eſſe lineos, & molles, ſed etiam iniunctos. Inde eſt quod Auicenna dicit in nono, quendā fuiſſe natum poſt ſextum menſem, qui bene vixit, ſed intelligendum eſt ſic fuiſſe natum in ſex, quod aliquid tetigit de ſeptimo in octauo autem menſe naſci debentur, viuere tamen non.

Recitat tamen Philoſophus in nono de Animalibus, quod apud Egiptum, ſunt mulieres quędam, quaſi viragines, & robuſtæ,

quæ

quæ etiam in octauo menſe patiens, generant filios, qui viuunt? Cauſa autem, quare octauo menſe nati, vt plurimum moriuntur, aſſignatur duplici via; vna philoſophica, alia aſtronomica: philoſophica quidem, quia vt dicitur puer in vtero natus, ſemper in ſeptimo menſe petit exitum, & ſi inueniat additum exeundi, ſaluatur, & viuit. Sin autem ex reſtitentia aliquo modo leditur, ſi poſtea in octo exeat, quia nondum ſanatus eſt a leſura; & eſt valde paſſibilis, vt plurimum moritur, ſed ſi expectet ad nonum menſem, iam ſanatus, & fortificatus exiens, poterit ſuperuiuere, & vt plurimum ſaluatur, & viuit. *feminæ parientes*

Aſſignatur autem huiuſmodi etiam cauſa aſtronomica, poſuerunt enim quidam Aſtrologi, quod in omni coniunctione, primo menſe dominatur Saturnus, & ſic deinceps deſcendendo ſecundum ordinem planetarum. Et quia Luna tenet ſeptimum locum & vltimum inter planetas, ideo ſeptimo menſe ſecundum hunc modum loquendi, dominabitur Luna, & quia completo numero planetarum, reuertitur dominium ſecundum circulum, in octauo menſe dominabitur Saturnus. In nono Iupiter, qui immediatè ſe habet ad Saturnum: dicunt ergo illi, quod nati in ſeptimo mẽſe, naſcuntur ſub dominio Lunæ. Et quia Luna eſt frigida, & humida, licèt ratione frigiditatis ſit cauſa mortis; ratione tamen humiditatis eſt cauſa vitæ, & ſic nati viuere poſſint: ſed nati in octo naſcũtur ſub dominio Saturni, qui eſt frigidus, & ſiccus; ideo nullo modo eſt cauſa vitæ. Nati autem in nono naſcuntur ſub dominio Iouis, qui eſt calidus, & humidus: & quia in calido, & humido conſiſtit vita, ideo vt dicunt tales potiſſime viuunt.

Sed quicquid ſit de alijs cauſis, dato quod puer petat exitum in ſeptimo, & non valens exire, exeat poſtea in octauo ſi ſit mulier bene compleſſionata, & robuſta, & generet filium viuacem, & fortem, non ſic ledetur ex eo, quod petit exitum, & non obtinuit: ſicut ſi eſſet debilis, ita quod in octauo menſe exiens, licèt raro hoc contingat, poterit viuere. Sic etiam quia corpora ſupercęleſtia agunt in hæc inferiora, ſed quod inueniunt ea diſpoſita, quantumcumque ex parte ſupercęleſtium, ſiue ſecundum ſuperiores cauſas, videretur iudicandum de morte; tamen ſi puer ſit bene complexionatus, poterit huiuſmodi cauſalitas impediri: ſicut in eſtate, aliqui patiuntur febrem frigidam, propter quod licèt ratione diſpoſitionis ſuperiorum corporum, iſte ſic patiens, deberet pati calorem, tamen quia materia eſt diſpoſita in contra- *exitus pueri.*

rium, non calorem, sed frigus patitur. Sic etiam tempore pestilentiæ, quando est magna mortalitas, multi euadunt. Dato ergo quod secundum dispositionem superiorum corporum magna mortalitas debeat esse in parte mundi, multi tamen poterunt inde euadere: ideo si mulieres robustæ, & quasi viragines generent pueruin, propter viuacitatem, quam habent ex bona complexione matrum, nati in octauo mense poterunt superare vtrumq; impedimentum superius positum.

Quare autem sic diuersificetur partum hominum, quia aliqui generantur in principio septimi mensis, aliqui completis septem & sic de alijs terminis, vt dictum est, aliorum autem animalium (vt dictum est) magis vniformem: tantum assignari potest causa ex modo viuendi aliorum animalium, & hominum: alia enim animalia habent magis similem cibum, & magis vtuntur vno modo viuendi; vt ex hoc sint magis vniformes in complexione, & in generatione, vt magis habeant vnum tempus concipiendi, & generandi: homines autem, tam mares, quam fęminæ, quia sic diuersificantur in suo modo viuendi, & in suis cibis, diuersificantur in complexionibus, vt magna sit differentia inter semina, semen viri, & menstruum fęminę, vt aliqui masculi generent magis iuuenes, aliqui magis in etate prouecti: sic etiam circa fęminas se habet; quia aliquę magis iuuenes concipiunt, aliquę magis prouectæ, aliquo nullo modo, & aliquę non concipiunt coniunctę vni viro, nec possunt concipere cum eo, quæ postea concipiunt cum alio, quæ omnia ad diuersitatem complexionis sunt referenda; licet ex aliquibus etiam organorum impedimentis possit contingere. Et quod dictum est de conceptu, veritatem habet, & de partu, quia aliqui cicius pariuntur, & pauciori tempore stant in vtero, secundum quod tardius, vel cicius in vtero formantur, ad quam tarditatem, & celeritatem, bonitas, & malitia complexionum cooperari possunt.

Sed si quęratur quare aliqui nascuntur in septimo mense, aliqui in octo, & sic deinceps. Respondent aliqui, quod puer primo organizatur, postea organizatus, & perfectus habet suum motum; vltimo pariatur. De organizatione autem, & de perfectione, & formatione, dictum est supra, vbi dicebatur, quod aliquorum formatio, & organizatio est in triginta diebus, & istud est tempus minus, aliquorum est in quadraginta quinq; & istud tempus, vt dicebatur, est tempus maius. Et quia puer non statim

cum formatus est mouetur ; immo oportet quod post organization m, consolidetur,& roboretur antequam moueri possit, ideò possumus distinguere triplex tempus, in quo est perfectè organizatus, tempus in quo mouetur, & tempus in quo paritur: dicit autem Auicenna in nono de Animalibus, recitans dictum medicorum, quod tempus in quo mouetur est duplum ad tempus formationis; & tempus in quo paritur, duplum ad tempus, in quo mouetur : ita quod si totum ad tempus, in quo stat fœtus in vtero diuideretur in septem partes; septimam partem illius temporis, secundum hunc modum dicendi, haberet formatio, duas autem partes illarum partium haberet motio : totum autem residuum in quattuor reliquas partes, haberent partus, & generatio; ideò si pueri formatio sit vnius mensis, post vnum mensem mouetur, peractis duobus mensibus, post hoc generabitur, & parietur peractis quattuor mensibus, si vero formetur puer in quadragintaquinque diebus, quia tempus formationis est mensis cũ dimidio, tempus motionis erit trium mensium, tempus generationis erit sex mensium, secundum quem modum nascetur puer prius decem menses.

Aliqui tamen dicunt, quod secundum hunc modum computandi, puer formatus in triginta diebus, nascitur in septem mensibus : formatus autem in quadraginta quinque, nascitur in nono mense, sed errant in computando, quia si formatus in triginta diebus, partus continebit 220. quia, vt dicunt, nascitur in octauo mense, oportet quod formatus in quadraginta quinque diebus, partus contineat 315. quod tempus non solum se extendit vltra nouem menses, sed etiam se extendit aliquo modo vltra decẽ, quod non esset inconueniens sm̃ superius dicta; vbi dicebatur, expertũ esse aliquas portasse in vtero vltra 10. menses, dicit tamen Auicenna in nono de Animalibus, quod iste modus computandi, non est omnino firmus, quia forte non semper sic accidit; licèt forte, vt plurimum sic possit contingere. Tertio tamen canonis fen. 24. dicit, quod quocunque tempore compleatur formatio pueri, in dupplo tempore fit motus ; partus autem fit post triplicitatem temporis motus : quod si volumus vnum concordare cum alio, dicemus, quod ista triplicitas sumitur prout ibi includitur tempus motus, ita quod tempus partus (excepto tempore formationis) est triplum ad tempus motus; includendo ibi huius tempus, & est dupplum non includendo secundũ hunc moduin loquendi.

CA-

CAPVT XVII.

In quo agitur de cauſa pariendi plures filios, & de modo quomodo ſituatur puer in vtero matris.

multitudo fœtus.

MVltipliciter poteſt aſſignari cauſa pluralitatis filiorum in vtero, vna quidem cauſa tangitur in quodam libro medicorum, qui intitulatur de ſpermate, vbi dicitur, quod ſunt receptacula, vbi ſperma recipitur. Et ibidem ſubdicitur, quod ſi ſperma ceciderit in duobus, vel in tribus vaſis, tot pueri procreantur quot vaſa hoc recipiũt; ita quod ſecundum hoc, cauſa multitudinis filiorum ſimul in vtero, eſt multitudo receptaculorum in eadem matrice. Sed hoc non poteſt eſſe tota cauſa; nam recitat philoſophus in nono de Animalibus, quod accidit cuidam mulieri, quod aborſit 12. & Auicenna in nono de Animalibus dicit, ſe audiuiſſe de muliere quędam, quod ſimul aborſit 70. figuratos vno aborſu: conſtat etiam quod tot receptacula in matrice non ſunt.

Aſſignatur autem alia cauſa pluralitatis filiorum, pluralitas impulſuum virilis ſpermatis, ſecundum quod dicit Auicenna in nono de Animalibus, vbi agens de cauſa geminorum, ad diuerſitatem impulſuum ſpermatis, videtur hoc reducere, quia inter diuerſas vices, vt ait, emittitur ſperma virile, poterunt ſecundum diuerſas partes, plures in eodem vtero filij generari. Sed nec iſtud omnino ſufficit, quia nunquam erunt tot impulſus, quod duodecim filij, vt recitat Auicenna generari poſſint.

Poteſt autem aſſignari tertia cauſa, motus matricis; nam vt dicit Auicenna in nono de Animalibus, quod mulieres poſſunt mouere ſperma de loco ad locum in matrice propter delectationem. Cum ergo ex tali motu poſſit ſe ſperma diuidere in plures partes, poteſt hoc eſſe generatio plurimum filiorum. Nec iſtud omnino ſuf-

no ſufficit, quia nunquá poſſet ſperma diuidi in tot partes, quod fieret inde tot filiorum generatio.

Poteſt autem aſſignari, & quarta cauſa, quam tangit in nono de Animalibus, videtur impregnatio poſt impregnationem: dicit enim quod quædam mulier fornicaria, impregnabatur poſt impregnationem primam, & peperit duos filios, quorum vnus aſſimilabatur coniugi, & alius fornicatori, immo idem ibidem ait, de illa, quæ aborſit ſimul duodecim filios, quod impregnatio illorum erat ſucceſſiua: poteſt ergo contingere impregnatio poſt impregnationem, & hoc poteſt eſſe cauſa multitudinis filiorum. Sed hoc videtur mirabile, quod 7o. filios per ſucceſſiuam impregnationem, poſſet mulier concipere. *vnde plures sequens*

Poſſet autem aſſignari alia cauſa, ex parte multitudinis materiæ, vt ſicut accidit aliquando monſtrum, quia fit manus cum ſex digitis ratione abundantiæ materiæ, ita quod ex abundantia materiæ, poteſt fieri octaua figuratio ſimul plurimum filiorum, quę omnes quinque cauſæ ſimul iunctæ, vnam ſufficienter cauſam efficiunt; natura, & diuerſitas receptaculorum in matrice, vt Auicenna tangit in nono, & diuerſitas impulſus ſpermatis, & motus ſpermatis in matricæ, & ſuper impregnatio, & multitudo materiæ, huius pluralitatis cauſa eſſe poſſunt. Aduertendum tamen, quod quando ſuper impregnatio eſt multum propinqua impregnationi, poteſt vtrumque ſaluari, ſicut accidit in illa, quæ concepit ex marito, & amaſio, quæ duos filios peperit, quorum vterque ſuperuixit. Sed quando longinqua eſt ſuper impregnatio ab impregnatione, non poteſt vterque ſaluari: vnde dicitur in nono de Animalibus, quod accidit cuidam mulieri impregnatę de gemellis, quod poſt impregnata fuit tertio: illos quidem duos peperit ſaluatos, tertium autem peperit, & ſtatim mortuus eſt, qui pariebatur in quinto menſe, per plures ergo menſes, diſtabat ſuper impregnatio ab impregnatione. Nam cum tanta diſtantia eſt, & non eſt completus fętus: propter quod prima impregnatio deſcendens, damnat ſecundam.

Vel poſſumus dare, quod quando diſtat diù ſuper impregnatio ab impregnatione, quia per tantum tempus ante, conceptus eſt vnus fętus, ideo huius fętus iam per tantum tempus fornicatus ſuggit, & attrahit ad ſe, quod totum nutrimentum alterius, ita vt fętus; poſterior ſaluari non poſſit. Ex hoc autem poteſt apparere cauſa, quare fiat aborſus ſi fiat conceptio filiorum

in

in valde magna multitudine, quia omnibus illis, vnius fęminæ menſtruum, non poteſt ad nutrimentum ſufficere. Eſt ergo hoc diligenter notandum, quod fit impregnatio in muliere ſuper impregnationem; quia alia animalia, quæ in notitia noſtra ſunt, exceptа equæ: poſt impregnationem, aborrent vſum maſculi: mulier autem impregnata, plus deſiderat, quam ante, cuius cauſa eſſe poteſt abundantia humiditatis; in alijs enim animalibus, quę non vruntur tanto cibo, nec ſic nutritiuo, vix ſufficit humiditas ad fouendum fœtus, propter quod corpora eorum remanent ſicca, vt aborreant conſortium maſculi. In muliere autem ex abundantia humiditatis attractæ ad matricem; magis deſiderat maſculum: ſic etiam de equæ dicitur, quod quando abundat in cibo, deſiderat equum poſt impregnationem; licèt non ſic ſuperimpregnetur, vt mulier: vnde philoſophus in nono de Animalibus, dicit, quod nulla fœmina animalium recipit coitum poſt impregnationem, niſi mulier, & equæ: mulier itaque propter abundantiã humorum, & quia deſiderat vſum viri poſt impregnationem: poterit ſucceſſiuè, manente vna impregnatione, ſuſcipere aliam.

Sed ſciendum quodſi fiat impregnatio ſuper impregnationẽ, vel qualitercumque aliter mulier de pluribus ſit impregnata, vt Auicenna tradit in de Animalibus, ſi hoc ſit ex duobus maſculis, vel ex duabus fœminis, mulier multoties euadit: & ſi de maſculo, & fœmina, raro euadit: quod forte ideo contingit, quia vt plurimum maſculi cauſantur in eadem parte, vt in dextra fęmina, in eadem, vt in ſiniſtra; ideo magis ordinate poſſunt ad partum peruenire vnus poſt alium: ſed ſi fit impregnatio de maſculo, & fœmina, quia ſimul concurrunt ad partum, vt mulier valde raro euadat.

Viſo de pluralitate filiorum; volumus exequi de modo ſtandi pueri in vtero: tenendum eſt enim, quod eo modo ſtat puer in vtero, ſecundum quod minus poteſt occupare de loco; ideò dicit philoſophus in nono de animalibus, quod fœtus habens duos pedes, ſtat in matrice curuatus, ſicut aues, idem etiam philoſophus, tradens modum ſecundũ quod homo ſtat in matrice, dicit quod puer in matrice habet naſum intra genua, oculi ſuper genua, frõte à genibus, & aures extra; palmæ autem eius debentur iacere, vel iuxta genua: facies ante eius, vt Auicenna tradit in decimo,

cibatur in vtero. eſt verſus dorſum matricis, propter defenſionem cordis, cibatur ergo ibi dum eſt in vtero, per vmbelicum, vt dicit philoſophus in

nono

nono de Animalibus, qui vmbilicus continuus est cochilidonibus Cochilidones aũt sunt, quasi ligamenta ligantia embrionem cũ matrice, per quæ ligamenta coniuncta matrici, attrahitur alimẽtum vsque ad vmbilicum: idem attrahitur vsque ad epar, vbi depuratur, & cecidit in nutrimentum pueri: dicit autem Auicenna nono de Animalibus, quod puer in vtero ridet post quadraginta dies, & ista est prima operatio, quam habet anima rationalis, vt ait, in suo corpore. Somniat autem, vt ait philosophus, post duos menses: postquam ergo perfectus est puer in vtero, rũpuntur cochilidones, idest ligamenta, cum quibus ligatur à matrice: quibus ruptis, statim puer petit exitum, quem petendo vertit caput ad inferius, ad quod iuuat ponderositas capitis, ita vt prius incipiat exire caput, quam alia membra. Et iste secundum Auicennam est exitus naturalis, quod si contingat prius exire pedes, contingit ex debilitate creaturæ, non potentis se vertere, vt Auicenna in nono de Animalibus tangit, & est tunc periculosus partus, quia non ita aptè exire potest.

CAPVT XVIII.

In quo agitur, quę sit causa masculinitatis, & quę fęminitatis, & vñ est, quod non semper agens assimilat sibi passum, & quod non semper generantur masculi.

VOlentes tradere causam masculi, & fæminæ, dicimus huius causam esse dominium spermatis maris super menstruum fæminæ, idest dominium agentis super materiam; non enim est huius causa actio duorum agentium, vt visus est velle Galenus, ponens sperma fęminæ habere rationem actiuã, & etiam sperma maris, volens, quod si dominabatur sperma fęminę, generabatur fœmina, si sperma maris, masculus. Nos autem in generatione animalium ha-

bentium corpora distincta, & naturas distinctas, vnam damus materiam, vt id, quod præstat fœmina, & vnum agens, vt sperma maris, & semper agens [si fit generatio] habet dominium super materiam; sed non semper habet totale dominium propter resistentiã materiæ; fit enim semper generatio à simili; non tamẽ semper eodem modo à simili, quia generatur non solum equus ab equo, sed mulus ab asino, vt dicitur in septimo metaph. Semen ergo Asini intendit generare Asinum; tamen quia menstruum Equę non est dispositum ad suscipiendum formam asini, non valens inde generare asinum, assimilat sibi passum quantum potest, & generat inde Mulum, qui in multis est similis asino, licèt non in omnibus. Et sicut Asinus intendit asinum generare, & Equa equum, sic masculus masculum. Quod si generatur fœmina est prȩter intentionem agentis, saltem agentis particulariter; propter quod dicta est fœmina, quod est mas occasionatus. Cum enim in generatione, mas se habet vt agens, fœmina vt patiens, quia effectus debet assimilari agenti, per se est, quod semper generatur mas: si autem generabitur fœmina, hoc est occasionaliter: sed si fœmina se haberet, vt agẽs, per se esset, quod generaretur fœmina, & mas esset fœmina occasionata. Ponas ergo perfectam obedientiam materię semper generabitur mas. Ex resistentia autem materiæ est, vel ex aliquo impedimento, quod passum non perfectè assimilatur agenti.

Vnde mas & vnde fœmina.

Tot ergo possunt esse causæ fœmineitatis, quot modis potest contingere, quod menstruum fœminæ, resistat spermati maris, vt non possit inde generari mas. Et tot erunt esse masculitatis, quot modis semẽ maris, potest habere dominium super id, quod præstat fœmina in generatione, vt possit inde generari mas: vna ergo est causa generalis masculitatis, dominium agentis, & obedientia passi. Et quamuis hæc videantur duæ causæ, vna tamen causa est, quia dominium agentis non est sine obedientia passi, & è conuerso, quia si non esset ibi obedientia, non esset ibi dominiũ, & è contra: sic etiam vna generalis causa fœminitatis, debilitas agentis, & inobedientia passi; nam ad debilitatem agentis, sequitur passi inobedientia; sed licèt generaliter possimus assignare causas masculitatis, & fœmineitatis ad ista tria generalia, multa alia concurrunt, quæ sunt decem, quantum ad præsens spectat, videlicèt qualitas seminis viri, quantitas, eius ætas, virtus testium. Complexio menstrui, receptaculum matricis, varietas ciborum condi-

conditio aeris, diuersitas ventorum, influentia cœli, omnia enim hæc aliter, & aliter se habentia, possunt facere ad generationem fœminæ. Primum quidem facit ad hoc qualitas virilis seminis, vt si sit calidum, vel in calore remissum; quia si est calidum, facit magis ad generationem maris; sed in calore remissum, ad generationem fęminę: ideo dicitur in x. methaph. quod ex eodē spermate, generabitur mas, & fęmina, si sit passum, alia, & alia passione, vt videlicèt, passione calidi, & frigidi. Secūdo ad hoc facit quantitas spermatis, quia secundum philosophorum regulam, crescente corpore, crescit & virtus, ergo in pluri spermate, plus erit de virtute, quàm in pauciori; quo posito, magis habebit dominium supra passum, vt magis possit post generare masculum. Si ergo semen sit calidum, & multum, magis generabit masculū; si modicum, & frigidum, magis fœminam. Tertia autem causa est etas, quia vt dicit philosophus in xviij. de Animalibus, quod iuuenes generant plus fœminas, quàm prouectioris ætatis, & etiā senes plus generant fęminas, cuius causam assignat, quia calor in iuuenibus, non est adhuc completus, in senibus autem est diminutus. Et si dicatur, quod ista causa est eadem cum prima, dicemus, quod caliditas potest esse in sperma te ex alio, quàm ex ætate tantum. Quarta causa ad hoc idem, sumitur ex virtute testium. Nam testis dexter, efficacior est ad generandum masculum, & siniſter ad generandum fœminam: vnde dicitur de quibusdam rusticis, quod cum ex tauro volebant masculum, ligabant testem siniſtrum; cum fęmellam, dextrum. Quinta causa ad hoc idem est receptaculum matricis, quia in parte siniſtra matricis, magis generatur fœmina; in dextra, mas, iuxta illud philosophi xviij. de Animalibus, mas est in parte dextra, fęmina autem in siniſtra. Sexta autem causa, est complexio menstrui. Nam cum caro fœminæ sit laxa, mollis, & frigida, masculi autem calida, & sicca. Quando quidem tale est menstruum, quod est magis molle, & fluxibile, magis inde generabitur fęmina, quādo autem magis calidum, & siccum, magis inde generabitur mas. Septima autem causa est, varietas ciborum, dictum est enim supra, quod id, quod dat fœmina in generatione, & etiam id quod præstat mas, est superfluum vltimi nutrimenti, licèt aliter hoc sit maris, & fęminæ. Nam in fęmina est sanguis tantum, siuè menstruum, cum non habeat rationem vbi passiui: in mare vero, est hoc attractum in vasis seminarijs, vt sit verè sperma, & habet rationem actiui. Cum

ergo ex alijs, & alijs cibis præſtetur calidius, & frigidius nutrimentum, contiget ex varietate ciborum, ſperma fieri calidius, vel frigidius: & ſecundum hoc poterit præſtare iuuamenta ad generationem maris, ratione caliditatis, vel ad generationem fœminæ ratione frigiditatis. Octaua autem cauſa poteſt ſumi ex conditione aeris, vel aliorum elementorum circunſtantium. Nam ijs variatis, variatur & conditio corporis, quod dependet ab huiuſmodi elementis: corpore autem variato, variantur & ſuperfluitates corporis, vt ſint magis, vel minus digeſte ſecundum hoc ergo variabitur & ſperma, quæ eſt ſuperfluitas vltimi cibi, ratione cuius variationis, poterit facere ad generationem maris, ſi ſit bene digeſtum; vel fęminę, ſi ſit indigeſtum, vnde philoſophus in xviij. de animalibus, cauſam maſculinitatis, & fœmineitatis, digeſtioni, & indigeſtioni ſuperfluitatum ſic tribuit.

Digeſtio & aeris cõditione.

Aduertendum tamen, quod tàm in cibis, quàm in elementis circunſtãtibus, cauſa maſculinitatis, & fœminitatis, conſideranda eſt non ſolum ſecũdum caliditatem, & frigiditatem, ſed etiam ſecundum temperantiam. Nam & nimia caliditas, & nimia frigiditas impedire poſſet, non ſolum generationem maris, ſed & generationem omnium, vt nulla fieret generatio. Nam omnia naturalia, & etiam artificialia, in quadam temperantia conſiſtũt, vt dicitur in xviij. de Animalibus: accipitur ibi temperantia large ad omnium conſonantiam, ſecundum quod in artificibus, reperitur quædam conſonantia, & quidam ordo, & quædam conuenientia partium; ſic & in naturalibus dicitur eſſe conſeruãtia, & temperantia actiui, & paſſiui, vt fiat ibi actio, & paſſio: & inde eſt, vt in eodem xviij. additur, quod aliqui viri ex aliquibus mulieribus generant, & ex aliquibus non generant; poteſt enim eſſe cõformitas huiuſmodi ad hanc mulierem, vt ex ea poſſit generare, quod non eſt conformitas ad aliam, vt ex ea generare poſſit. Et quia cibi, elementa, & circunſtantiæ, & etiam aliæ cauſæ ſuperius aſſignate ad talem temperantiã, & conformitatem poſſunt adiuuare, & etiam impedire, inde eſt, quod huiuſmodi cauſæ poſſunt vniuerſaliter generationem adiuuare, & vniuerſaliter impedire. E ſicut hîc poſſunt adiuuare, vel impedire generationem ſimpliciter, ita poſſunt adiuuare, vel impedire generationem hanc, videlicèt, maſculi, & fœminę, vt aliqua temperantia, vel conformitas maris, & fęminæ, ex quibuſcunque cauſis aggenerata, magis facere ad generationem maſculi, aliquæ vero magis

ad

ad generationem fœminæ. Nona quidem causa sumi potest ex diuersitate ventorum, nam vt dicitur in xviij. de Animalibus, ventus meridionalis magis facit ad generationem feminarum. Septentrionalis autem ad generationem marium: quare autem meridionalis disponit ad generationem fœminæ, assignatur ibidem causa, quia huiusmodi ventus est valde humidus; propter quod corpora erunt magis humida, & sperma erit magis multiplicatũ, & ex hoc magis erit indigestum. Erit etiam sperma maris humidius, & sanguis menstruus humidior. Et quia humiditas, & indigestio videtur esse conuenientia complexioni mulierum, quæ habent carnem laxam, & mollem, & superfluitates indigestas, ideo talis ventus est competens generationi fœminarum: ventus autem septemtrionalis, quia purus, & frigidus, stringit poros, conseruat calorem naturalem, purificat humores, vt sit tunc sperma calidius, & magis digestum, ex hoc sit competentius generationi masculorum. *Diuersitas vẽtorum.*

Aduertendum tamen, quod supra multitudinem spermatis, diximus facere ad generationem masculorum, hoc autem videtur voluisse philosophus, quod faciat ad generationem fœminarum. Sed non est controuersia, quia cęteris paribus, vt si sit æque digestum, multum, sicut & modicum; quia vt dicebatur, crescente corpore, crescit & virtus, huiusmodi multum sperma magis dominabatur materiæ, in quam agit, & magis trahet ipsam ad se, vt generet inde marem: sed si huiusmodi multum sperma sit indigestum, non ratione qua multum, sed ratione qua indigestum, poterit fęminarum generationem facere. Decima autem, & vltima causa, potest sumi ex influentia cęli: nam signa cęlestia, planetę, & alia sidera, licèt non habeant causalitatem directe in animas nostras, & in liberum arbitrium, habent tamen in corpora nostra; ideo non increpamus celebrantes minutionem, vel facientes alia, quæ spectant ad corpora nostra, si obseruãt conditionem lunæ, ordinem elementorũ, dispositionem cęli, & cętera quæ possunt nostra corpora immutare. Ex hoc ergo possumus dicere, alia signa esse masculina, quia superalterant corpora hominum, & fęminarum, vt magis disponant ea ad generationẽ masculorum: alia autem esse fęminina, quia magis disponunt huiusmodi corpora ad generationem fęminarum.

Notandum autem quosdam omnes causas masculinitatis, & fœminitatis, voluisse reducere ad caliditatem, & frigiditatem, vt si ven-

ſi ventus meridionalis facit ad generationem fœminarum, hoc eſt quia apperit poros, & facit euaporare calorem naturalem, ſic etiam dexter teſtis in maribus, dexter ventriculus in fęmina ratione caliditatis, faciunt ad generationem maſculorum. Siniſtra vero horum, ratione frigiditatis facit ad generationem fęminarum. Sic etiam cauſas alias quaſcunque ſcirent aliqui aſſignare, ſolum ad calorem, & frigiditatem referunt. Sed vt patet, volenti intueri veritates, omnes, cauſas naturales actionum, & paſſionum, non poſſumus reducere in calidum, & frigidũ, vel in quaſcunque qualitates elementales; ſed oportet aliquando talia referre ad formam ſpecificam, & ad totam ſpeciem, ſicut attractio ferri à magnete, non enim poterit hoc referri ad calidum, vel ad frigidum, quia tunc non fieret talis attractio, niſi ad vnam differentiam poſitionis, ſed oportet hoc referre ad naturã ſpecificam magnetis, vt dicamus, quod natura ſpecifica magnetis, ſemperquè talis virtus, & talis proprietas, habet hoc facere. Sic & in propoſito, nam cibi aliqui ex natura ſua ſpecifica dabunt nutrimentũ tale, quod ſperma inde generatũ, magis diſponat ad generationem maſculinã, aliqui vero magis ad generationẽ fęmininã.

Quantum ergo non ſolum oportet referri in calidum, & frigidum, ſed in naturã ſpecificã ipſorũ ciborum, vt quod à tota ſpecie habent, quod ſic nutriant, & quod tàm in generatione ſimpliciter, quàm etiam in generatione tali, puta maſcula & fęmina, attendenda eſt non ſolum caliditas, & frigiditas, ſed etiam contemperantia, & conformitas generantium; ideo iſto modo non poterimus omnes cauſas reducere in vnam cauſam, ſed ſi volumus omnia reducere in vnum, reducemus in dominium agentis ſupra paſſum, quantum ad generationem marium, vel indebilitatem quantum ad generationem fęminarum.

Notandum etiam philoſophum in xviij. de Animalibus, omnes has cauſas, quaſi reprobare, vt ventriculus dexter matricis, nõ eſt cauſa generationis maſculini, nec ſiniſter fęminæ; quia vt ait, aliquãdo in ſiniſtra parte matricis, generatur maſculus, & in dextra fęmina: nec etiam dexter teſtis, eſt cauſa generationis maſculi, nec ſiniſter fęminæ; quia aliquando, quod emittitur ex dextro, facit ad generationem fęminæ: & quod ex ſiniſtro, ad generationem maris: ſic etiam ſingulas alias cauſas, modo conſimili reprobare poſſum°. Sed huiuſmodi reprobationes, dupliciter veritatẽ habent, primo quia nulla dictarum cauſarum per ſe eſt ſufficiens;

ideo

ideo cum decem ſint cauſæ aſſignatæ, oportet cauſas maſculinitatis, & fęminitatis ſimpliciter ex dñ ationę prædictarum cauſarum accipere: vt dicamus, inter maſculum, & fœminam, quinq; eſſe differentias: nam aliqui ſunt maſculi, habentes maſculinos mores: aliquæ ſunt fœminæ, quæ ſunt viriles, & audaces habentes quaſi mores maſculinos; aliquę autem nec ſunt veræ fęminæ, nec ſunt verè maſculi; ſed ſunt quaſi vtrumque, & ſunt hermofroditi. Immo inueniuntur etiam aliqui maſculi, qui ſunt quaſi fęminæ, non ſolum quantū ad mores, ſed etiam quantum ad alia; vt quia non habent barbam, & quia habent vocem acutam, & tenuem; ſic etiam aliquæ fœminæ, aliquid participant de pilis barbæ, & habent vocem grauem, & ſunt quaſi maſculi.

influentia cæli cibi.

Itaque cum omnes prædictæ cauſæ, vel quaſi, omnis maſculinitatis concurrunt ad generationem maſculi, tunc fit maſculus, omnino maſculinus, & quantum ad mores, & quantum ad barbam, & quantum ad vocem, & quantum ad omnia. Quando vero omnes cauſæ fœminitatis, tunc fęmina omnino fœmina, ſed quando plures cauſæ maſculinitatis, concurrunt ad generationem maſculi, attamen concurrunt ibi aliquæ cauſæ fœminitatis, licèt non tot, & non tam efficaces, vt putà quia ſperma fuit calidum, & ex dextro teſte emiſſum, propter quod facta fuit generatio maſculi, ſed facta fuit in ſiniſtra parte matricis, quę eſt locus competens generationi fœminarum, tunc ille maſculus ſic generatus, habebit aliquid de conditionibus fęminarum, ad quam concurrunt aliquæ cauſæ maſculinitatis: ſed quando cauſæ maſculinitatis, & fœminitatis, ſic mixtim concurrunt, quod iſtę non ſuperant illas, nec è conuerſo, vel ſi ſuperant, ſic modicum ſuperant, quod non poſſunt generare, nec ſimpliciter maſculum, nec ſimpliciter fœminam, tunc fiet hermofroditus, qui licèt ſit vtrumque, & mas, & fœmina; tamen magis ſe forte tenebit ad modum maris, quia cauſæ maſculinæ aliquam victoriam habuerūt ſuper cauſas fœminas, licèt non tantam quod poſſent facere ſimpliciter marem, vel forte magis ſe tenebit ad fęmineum modum, propter ſimilem victoriam cauſarum fœminitatis ſuper maſculinas, licèt illa victoria non fuerit tanta, quod poſſet fęminam ſimpliciter generare.

cauſa maris, & fœminæ.

Erat ergo vnus modus verificandi dictum philoſophi, quod illę non ſunt cauſæ maſculinitatis, & fęminitatis, quia nulla illarum dictarum cauſarum eſt per ſe ſufficiens cauſa generationis maſculi vel fœminæ; niſi accipiamus valde generaliter cauſam, videlicet

domi-

dominium, vel debilitatem agentis respectu passi

Potest aũt dictum philosophi aliter verificari, vt dicamus omnes has causas, videlicèt dextrum testem, vel dextrum matricis vẽtriculum, vel etiam frigiditatem, vel caliditatem, esse causas generationis masculorum, & fœmininarum, quasi remotas: generationem autem membri principalis, vt cordis esse magis propinquam; propter quod cum philosophus in decimo octauo de animalibus, narrasset plures causas generationis masculorum, & fẽminarum, vt dextrum, & sinistrum testem, calidum, & frigidum, dixit quod iste sermo, est similis sermoni illorum, qui appropinquat compræhensioni causæ ex remoto, & subdit quod debemus compræhendere causam ex principijs propinquis. Et idem in eodem libro dicit, quod melius est hoc attribuere victorię membri, scilicèt principalis, quam calori, aut frigori,. Et idem in eodem dicit, quod causa illius, scilicèt masculinitatis, & fœminitatis est prima virtus, quæ est in membro, in quo est principiũ caloris naturalis, secundum quod est substentatio cordis. Propinquius igitur secundum philosophum, assignabimus causam masculinitatis, & fẽminitatis, victoriam membri principalis, siue victoriã cordis, quam illas causas assignatas: itaque assignatę causæ bonæ sunt, & tamen veritatem habet dictum philosophi.

Ad cuius euidentiam sciendum, quod cor in animali est quasi fundamentum in domo, & quasi lignum recuruum in naui, vt supra tetigimus; videmus autem in domo, quod iuxta ordinatum fundamentum, oportet fieri ea, quæ sunt in domo, vt taliter possit esse ordinatum fundamentum, quod oportet in domo officinas esse tales, ex tali parte, & tales ex tali, & sic de alijs, quæ in domo considerãda sunt, vt qui ex constitutione, quod est primũ initium domus, omnia alia dependeant. Sic in naui, cum sint plures formæ nauium, & in omnibus talibus, non sit vnus modus curuandi primũ lignum: secundũ quod huiusmodi lignum fuerit aliter, & aliter curuatum, sic oportet deinceps procedere, vt faciat aliam, & aliam formam nauis. Sic & in proposito, primum membrum aggeneratum est cor, in quo corde aut refulget complexio simpliciter fœminina, aut masculina, habens aliquid de fœminitate: aut masculina, habens aliquid de masculinitate, aut quasi simpliciter media inter hoc, & illud: si autem habeat hoc membrũ primo formatũ, complexionẽ masculinã, tunc iuxta inchoatum fundamentum, fiet totum edifitium, vt personæ sic ge-

nitæ,

nitæ, fiant teſtes, & omnia alia, quæ ſunt maſculi; & ſi ſit illa cõplexio ſimpliciter maſculina, non ſolum habebit teſtes, & ea quę potiſſimè reſpiciũt maſculum, ſed etiam habebit complexionem ratam, vt in ſuo tempore emittat in barba pilos, venas habebit ſic formatas, quod vt ſuo tempore habeat vocem groſſam & virilem, & ſic de alijs: ſed ſi in corde ſic formato, ſit complexio maſculina, aliquid participans de fœminitate, erit ſic genitus maſculus: ſed quoad vocem, vel quoad barbam, vel quoad mores, aliquid hebebit de fœminitate. Similiter ſentiendum eſt de complexione fœminæ, vt ſi cor habeat ſimpliciter huiuſmodi complexionem, fœtus inde formatus, erit fœmina habens conditiones fęmineas; ſed ſi aliquid participabit de maſculinitate; erit fœmina habens aliquid de modis maſculi: ſi autem cor primo formatum vtriuſq; equaliter, vel quaſi equaliter, ſcilicet complexionis maſculinitatis, & fœminitatis conditionis retineat, fœtus formatus erit hermofroditus.

Prædictæ ergo decem cauſę prius aſſignatæ, ſecundum quod omnes, vel quaſi omnes, vel plures, vel pauciores concurrunt ad generationem animalis, facient quod cor primo formatum in animali habeat complexionem hanc, vel illam; ſecundum quàm complexionem cordis primo formati, membra cætera formabuntur: bonæ ergo ſunt illæ decem cauſæ aſſignatæ, quæ habent diuerſificare complexionem cordis, quæ diuerſificata, fuit diuerſitas ſenſuum: & bonum eſt dictum philoſophi, vt ex complexione principalis membri, ſiue cordis, accipiatur talis diuerſitas, magis ex propinquo, quàm ex aſſignatis cauſis, cum prædictis cauſis primo complexionetur cor, quàm fiat diſtinctio ſenſuum, vt quàm fiat mas, vt fœmina, vel hermofroditus.

CAPVT XIX.

Vbi colliguntur, quę obijci possent: in quo agitur, quare fœtus aliqñ similatur patri, aliqñ matri, aliqñ partim alteri, aliquando neutri.

NArrat Philosophus in nono de Animalibus, quod filij in maiori parte assimilãtur patribus vel parentibus, ita tamen, quod fœminæ, pro maiori parte assimilantur matribus, masculi patribus: accidit tamen aliquando contrariũ, quod mares assimilantur matribus, & fœminæ patribus: accidit etiam, quod filij, nec assimilantur patribus, nec matribus, sed auis, vel proauis: accidit insuper aliquando, vt non assimilentur alicui de genere suo. Hãc etiam eandem materiam tractat philosophus, non solum in nono, sed in xviij. vbi in similia verba prorumpit, dato tamen quod ipse hoc non diceret, sensibiliter videmus sic esse: ideo admirandum est, & ex admiratione quærenda est causa. Nam admiratio ad philosophandum inducit, cum hoc sit admiratio, cognitio effectus, cum ignorantia causæ. Videtur enim, quod ab hoc nunquam deficere debeat fœtus, quin masculus assimiletur semper patri, & fęminæ matri. Nam cum ex hoc generetur masculus, quia agens dominabitur materiæ, vt quia sperma maris dominabitur menstruo, cum hoc sit dominari agens, vt passum faciat sibi simile, vel non fiet fętus masculinus, vel si fiet, assimilabitur agenti: erit itaque similis patri: & quod dictum est de masculo respectu patris, videtur veritatem habere de fœmina respectu matris Nam si propter hoc sit fętus fęmineus, quod agens non potest dominari materiæ, quia sperma, non potest dominari menstruo, & inducere ibi similitudinem patris. Et quia huiusmodi impedimenti causa, est resistentia menstrui; oportet quod ibi introducatur talis forma secundum quod requirit menstruum. Et quia menstruum est aliquid deriuatum à matre, in tali inobediẽtia materiæ, secundum quàm fit generatio fęminarũ, semper fiet

Similatio filiorum.

similitudo matris; ita quod sicut mares propter dominium spermatis maris semper debentur assimilari patribus, ita fœminæ propter resistentiam menstrui matris, semper debeſẽt assimilari matribus: sed quicquid sit de patre, vel matre, à quibus de proximo procedit fœtus: vnde tamen veniet similitudo illa, qua aliquando assimilabitur auis, vel proauis, non videtur quod possit causa sufficiens assignari: & quod plus est contingit aliquando, quod fœtus, nec patri, nec matri, nec alicui de progenie assimiletur, cuius etiam oportet causam inquirere. *Cur patri, vel matri.*

Sciendum ergo, quod de causis similitudinis, & dissimilitudinis, triplicem inuenimus modum dicendi, vnus fuit Galeni, qui de hoc se glorians, voluit huiusmodi causam attribuere dominio actiuorum, dicens [vt supra diximus] ad generationem fœtus, concurrere duplex agens, sperma viri, & fœminæ, & si dominabitur sperma fœmineum, fit fœtus similis matri, cum masculinum patri: & si diceretur, quod semper filius erit similis patri, quia sperma maris semper se habet vt actiuum; sperma fœminæ, secũdum ipsum Galenum, vt sub actiuum, respondebat, quod sperma fœminæ cibat se sanguine menstruo. Et ex hoc vt dicebat, confortatur in tantum, vt aliquando inualescat supra sperma viri, vt per hoc possit sibi assimilari passum.

Secundus modus dicendi fuit, quod causa similitudinis filiorũ, attribuebatur quãtitati humiditatis membrorum; volebant enim quidam; quod tàm in mare, quàm in fœmina exibat ab omnibus membris quædam humiditas, quæ deseruiebat generationi, vt sperma maris erat quædam humiditas, exiens ab omnibus membris maris; sperma fœminę, siue menstruũ ab omnibus membris fœminæ. Si ergo maior erat humiditas omnium membrorũ maris, fœtus in omnibus membris assimilabatur patri. Si fœminæ matri: si aliquorum huiusmodi, & aliquo illius, in aliquibus mẽbris assimilabatur huic, in aliquibus illi; vt si de oculo, plus veniebat ad compositionem fœtus de masculo, quàm de fœmina, & in naso plus de fœmina, quàm de masculo, fœtus in oculis assimilabatur patri, & in naso matri, & secundum hunc modum, credebãt in omnibus rationem similidinis assignare. Hi ergo non attribuebant causam similitudinis dominio spermatum actiuorum, vt fœtus assimilaꝛ illi, cuius sperma dominabatur, sed attribuebãt hoc, dominio quantitatis humiditatis membrorum, vt filius assimilaretur illi secundum omnia membra; vel secundum aliqua,

prout magis fuit de humiditate membrorum omnium, cuius vel aliquorum ad compositionem fętus.

Tertius quidem modus dicendi fuit, vt huiusmodi causa attribueretur dominio mixtionis: volebat enim quod ad compositionem fętus, concurrerent humiditates membrorum, tàm maris, quàm fęminæ, tàm genitorum, quàm auorum, & proauorum, ita quod in membris huiusmodi masculi generantis, sint humiditates proprię, & humiditates auorum, & proauorum, vel auarum, proauarum: sic etiam ex parte fęminę generantis, sunt huiusmodi humiditates secundum omnes. itaque ad generationem fętus, concurrebant omnes istæ humiditates, videlicèt matris, & patris, & genealogiæ vtriusque, & ex omnibus istis humiditatibus, fiebat quasi quoddam mixtum, in quo mixto dominabatur illa humiditas, de qua erat ibi maior quantitas, secundum cuius dominium fiebat assimilatio, vt si plus erat ibi de humiditate patris, assimilabatur patri: si aui, vel proaui, auo, vel proauo: si matris matri, & cętera. Differunt autem hi tertij à secundis, quia secundi volebant, quod quasi remanent humiditates sub propria forma, & quælibet suo deseruiret membro, vt secundum maiorē quantitatem humiditatis maris, vel fęminæ concurrentis ad illud membrum, fieret assimilatio illius membri. sed hi tertij non ponebant humores remanere in propria forma, sed facere quoddam mixtum, & fieri assimilationem dicebant à dominio mixtionis. propter hoc hi tertij, vt dicitur in xviij. de Animalibus, vbi hæ duæ opiniones tanguntur, conuenientius dicebant quàm secundi: quia modi similitudinis, vt ibi dicitur, non sunt in sperma te actu, sed potentia: ad quem modum ponendi magis accendebant huiusmodi facientes mixtionem, quia mixtibilia non sunt in mixto actu, sed potentia; hoc enim modo sunt in mixto, quia saluatur virtus eorum, vt dicitur circa finē primi de generatione.

Sed omnes hi modi ponendi, & falsa recipiunt in præmissis, & concessis: in præmissis, nisi plus diceretur, non haberent propositum; nam falsa est opinio Galeni, quod sint ibi duo actiua: nam non est ibi, nisi vnum actiuum, vt sperma maris, & vnum passiuum, vt menstruum fœminę: sperma autem fœminæ, nec vt actiuum, nec vt passiuum est generationi conueniens; licèt ad generationem habeat aliqua iuuamenta, vt supra plenius dicebatur. Sic etiam tertij, & secundi, ponentes humiditates aliquas in generatione exire ab omnibus membris, siuè huiusmodi humiditates

manent

mancant in propria forma, vt videbantur sentire secundi; siue faciant vnum secundum mixtionem, vt videbantur sentire tertij, falsum est quod dicitur; non oportet quod exeat sperma à toto corpore, sed solum habet esse sperma ex superfluo vltimæ digestionis.

Et his tamen concessis, non habetur intentum, quia aliquando fœmina assimilatur patri, & masculus matri. Ratione ergo, qua fœmina, plus esset ibi de humiditate matris, ratione qua similis patri, plus esset ibi de humiditate patri; quod secundum philosophum est impossibile, quod plus sit ibi de vtraque humiditate; quia si vna humiditatum excedit, alia non excedet, sed deficiet: non enim potest esse, quod duę humiditates in quantitate se inuicem excedant, ita quod vna sit maior alia, & è conuerso: secundum hunc modum etiam improbationis philosophi, posset improbari dictum Galeni, quia si fœmina assimilatur patri, vel masculus matri, oportet vtrumque sperma esse dominans, tàm matris, quàm fœminæ. Quod si posset hoc dictum Galeni, quantum ad hanc partem, aliquo modo reduci ad bonum intellectum, non est multum curandum de ipso, postquam accipit falsum fundamentum, ponens sic duo spermata actiua.

Vnde tanta diuersitas.

His itaque prælibatis, dicamus duplicem esse similitudinem, in substantialibus, & accidentalibus: sic & generantes secundum hoc, duo considerari possunt, quia & sunt substantiæ, & sunt habentes accidentia. In substantialibus quidem, semper est similitudo, quia secundum hoc non differunt aui, & proaui: semper ergo homo generat hominem, & semper in substantialibus, generans assimilat sibi passum; posset enim esse in hoc deffectus, quando mas, & fœmina non essent eiusdem speciei: sicut videmus, quod asinus ex menstruo equæ, non generat asinum, sed mulum. Sic ergo dicitur de similitudine in substantialibus: sed de accidentalibus est distinguendum, quia quædam sunt naturalia, & sequuntur complexionem generantium, sicut quantitas, & qualitas in corpore, sicut quod quidam sunt albi, magni, & formosi. Quædam autem sunt ex arte, & ingenio aquisita, sicut quod quidam sunt Gramatici, vel Musici: in substantialibus itaq; semper est assimilatio, quia semper homo generat hominem.

In accidentibus autem ex ingenio acquisitis, nunquam est assimilatio, quia nunquam Gramaticus generabit Gramaticum. In accidentibus vero concomitantibus naturam, vel complexionem,

nem, siue sint accidentia animæ, siue corporis; si semen sit forte, est assimilatio geniti ad gignentem, vt albus generabit album, fortis fortem, quæ videtur pertinere ad corpus, & ingeniosus ingeniosum, quod videtur pertinere ad animam; licèt etiam hoc ad complexionem corporis possit referri; sed si semen maris non sit forte, licet assimilet sibi fœtum in substantialibus, non assimilabit sibi in accidentalibus: & quia motus non habet terminum casualem, vt quod ex quolibet eatur, siue pergatur in quodlibet; sed semper motus est in contraria, cum fœmina sit contraria mari, vt dicit philosophus in decimo octauo de Animalibus, quando fit defectus secundum similitudinem à masculo, siue à patre, itur ad similitudinem fœminæ, siue maris: sic ergo imaginabimur, q̃ sperma maris agit in menstruum fœminæ; & quia agens est contrarium patienti, si omnino superat sperma maris, trahit materiã ad se, & inducit ibi similitudinem patris. Sed si vincatur huiusmodi sperma, & huiusmodi menstruum resistat, cum talis materia sit accepta ex matre; quantum est de se, est magis apta nata, vt inducatur ibi similitudo matris: sic ergo fiet fœtus similis matri.

complexio

Ad omnium tàm dictorum, quàm dicẽdorum intelligentiam, claritatem accipiemus nostræ considerationis, atque declarationis principium, quod ait philosophus in decimo octauo de Animalibus, quod non differt dicere, quod sperma facit hoc, & quod motus cuiuslibet membri inducit huiusmodi incrementum, & quod primus motor facit hoc. In omnibus enim istis sermonibus (secundum ipsum) est eadem intentio: humor enim ille, vnde fit sperma, est vltimus cibus membrorum patris, & est valde proximũ quid, vt transubstantietur in membra patris formaliter: huius humor ergo, qui secundum suam substantiam est valde propinquus, vt transubstãtietur in membris formaliter, virtute cordis, & virtute testium, fit sperma; quod factum habet virtutem, vt sit omnia membra virtualiter. Dicemus enim quod sicut huiusmodi humor, est vltimus cibus quantum ad aliquam sui partẽ, virtute cordis, & epatis, & membrorum trãsubstantiatur in omnia membra formaliter, secundum quod requirit conseruatio individui, sic etiam ex illo cibo, virtute testium fit sperma, quod est omnia membra virtualiter, secundum quod requirit conseruatio speciei. Quod ergo sunt omnia membra patris formaliter, hoc est sperma eius virtualiter; id quod ergo fit ex parte maris per virtutem

tutem informatiuam, poteſt attribui ſpermati, in quo ſicut in ſubiecto eſt talis virtus, & cordi à quo procedit talis virtus, & omnibus membris; quia omnia membra, talis virtus eſt virtualiter. Et ideo, vt dicebamus, non refert, ſiue attribuatur hoc ſpermati, in quo eſt talis virtus, ſiue hoc attribuitur cordi, à quo principaliter eſt talis virtus, ſiue hoc attribuatur motui cuiuſlibet mẽbri; quia omnia membra virtualiter eſt huiuſmodi virtus, eadem eſt intentio hic, & ibi.

Quidam autem hoc dictum philoſophi exponunt aliter, ſed ſufficiat ipſum ſic exponi, prout ad propoſitum ſpectat. Si ergo ſperma patris, eſt omnia membra eius virtualiter, oportet quod in huiuſmodi ſperimate ſit virtualiter quicquid reperitur in omnibus membris patris. Et quia in membris patris reperitur maſculinitas, quia oportet patrem eſſe maremn, complexio, quia forte eſt colericus, vel fleumaticus: color, quia eſt albus, vel niger: quantitas, quia eſt magnus, vel paruus: figura, quia eſt forte bene lineatus, & formatus: mores, & paſſiones, quia eſt iracundus, vel mitis, audax, vel timidus; alia etiam quæ per complexionem attribuuntur animæ, vt putà quia eſt ingenioſus, vel hebes, ideo oportebit ſemen aliquo modo eſſe virtualiter omnia iſta; vt ſi ſit omnino forte, aſſimilabit filium patri in omnibus, vt ſicut pater eſt maſculus, ſic fœtus erit maſculus; & ſi pater eſt magnus, fœtus eſt magnus: ſi albus, albus, & ſic de alijs; ſed ſi ſemen ſit debile, fortè in omnibus trahetur fœtus ad modum contrarium, vt ad modum matris, vt quia erit fœmina, & non erit ſimilis patri, nec in colore, nec in figura, nec in alijs cæteris, ſed ſimilis matri.

Aduertendum autem, quod quia pater dat formam, & mater materiam; & quia quantitas ſequitur materiam, & qualitas formam; ideo in quantitate, vt plurimum conſueuerunt filij matrizare, in qualitate patrizare. Ex paruis ergo matribus, vt plurimum, conſueuerunt eſſe fœtus parui; tamen ſi ſemen ſit bene forte in quantitate, & in qualitate, poterit fœtus aſſimilari patri, & ſi multum debile in vtriſq; poterit aſſimilari matri.

Aduertendum etiam, quod contingit multories, quod ſperma, nec eſſe omnino forte, nec omnino debile; ſed eſt forte quantum ad vnum, & debile quantũ ad aliud; vt eſt forte quantum ad maſculinitatem; debile autem quantum ad alia; ex quo ſpermate generabitur fœtus in maſculinitate ſimilis patri, ratione fortitudi-

nis

nis ſpermatis circa hoc, & in alijs ſimilis matri ratione debilitatis eius. poſſet autem eſſe è conuerſo, quod ſperma eſſet debile quantum ad maſculinitatem, & forte quantum ad alia, & tunc fœtus non eſſet maſculus ſimilis matri, ſed eſſet fœmina ſimilis patri: vt plurimum tamen contingit, quod quando ſperma eſt forte quantum ad maſculinitatem, quod eſt forte quãtum ad alia, ideo vt plurimum maſculi aſſimilantur patribus, vt dicitur x. & xviij. de Animalibus. Sic etiam, & vt plurimum, quando ſperma eſt debile, quantum ad maſculinitatem, quod non poteſt aſſimilare fętum patri in maſculinitate, eſt debile quantum ad alia, quod non poteſt ipſum aſſimilare patri in alijs; ideo fęminæ, vt plurimum ſunt ſimiles matribus non patribus, vt idẽ philoſophus ait; attamen licèt ſic ſit vt plurimum, poſſunt tamen illa ſeparari.

Diuerſitas in ſperma.

Nam aliud eſt eſſe maſculinum, aliud eſt eſſe magnum, album, & bene formatum, & ſic de alijs. Et quia iſta ſunt diuerſa adinuicem, poteſt contingere, quod ſperma habeat fortitudinem in vno non in alio, vt quod faciat fętum ſimilem patri in maſculinitate, & non in alijs: vel quod faciat ipſum ſimilem in alijs, & nõ in maſculinitate, vt quod faciat ipſum in aliquibus ſimilem non omnibus; quia huiuſmodi ſimilitudo eſt forte in carne, vt quia ex albo generatur albus, non autem in formoſitate; vt quia ex formoſo generabitur informis.

Dicemus enim, quod virtus informatiua, eſt quodammodo tot virtutes, quot reperiuntur in omnibus membris patris, ſiue pertineant ad maſculinitatem, ſiue ad complexionem; vt quia fleumaticus generat fleumaticum; ſiue pertineant ad quęcunq; alia: & quia illa tãtam diuerſitatem habent adinuicem; & quia vnum reperiri poteſt ſine alio, contingere poterit, quod virtus informatiua exiſtens in ſemine, habeat fortitudinem in vn , & non in alio: & vt vtamur verbis philoſophi in xviij. de animalibus, dicemus, quod pater aliquis qui generat, & eſt mas, & eſt ſocrates ideſt, eſt talis mas, qui eſt ſic complexionatus, ſic coloratus, ſic formatus, & lineatus, & ſic de alijs: virtus ergo in ſemine, aſſimilare poterit fœtum gignenti, vt eſt mas, quod non aſſimilabit eum ei, vt eſt ſocrates, ideſt, aſſimilabit fętum gignenti in maſculinitate & non in alijs: vel poterit eſſe è conuerſo, quia tota natura ſubiecta eſt tranſmutationi, & motui, vt quodlibet poſſit impediri, & debilitari; ideo poterit contingere, quod virtus in ſemine debilitetur quantum ad vnum, & non quãtum ad aliud: & ſicut dictum

eſt,

est, quod gignens est mas; & est Socrates, idest & est talis mas, quia est sic formatus, sic coloratus, sic gignens est ex tali patre, ex tali auo, ex tali proauo, siue aliud sit in eo de conditionibus progenitorum suorum: virtus ergo exiens cum spermate, virtualiter est omnia quæ sunt in gignente, vt virtualiter contineat, non solum quæ sunt maris, & quæ sunt socratis, sed etiam quodammodo, quæ sunt progenitorum suorum, in quantum aliquæ conditiones progenitorum relucent in ipso socrate: & sicut potest contingere, quod fortificetur virtus informatiua quantum ad ea, quæ sunt masculinitatis, & debiliretur quantum ad ea, quæ sunt socratis, vel è conuerso: sic etiam potest contingere, quod huiusmodi virtus fortificetur, vel debilitetur quantum ad ea, quæ sunt progenitorum: ideo poterit contingere, quod fœtus assimiletur socrati, & non alicui de progenitoribus: vel quod assimiletur alicui progenitorum, & non socrati. Habebunt autem se per ordinem ista tria, videlicet, masculinitas, ea quæ sunt socratis, & ea quę sunt progenitorum; quia masculinitas in assimilatione debet esse fortior, cùm in hoc principaliter differat mas à fœmina, & cum principaliori, alia vt plurimum sunt annexa. Et inde est quod, vt plurimum, quando virtus informatiua vincit in masculinitate, vincit & in alijs, quæ sunt socratis; siuè quæ sunt indiuidui: ideo quando assimilat in masculinitate, assimilat & in alijs, ideo, vt plurimum sunt similes patribus. Sic etiam quando deficit in masculinitate, deficit vt plurimum, & in alijs, ideo fœminæ quia deficiunt à similitudine patris in masculinitate, deficiunt vt plurimũ & in alijs, vt non assimilentur patribus, sed matribus.

Conditiones etiam progenitorum.

Sed licèt sic sit vt plurimum, contingit tamen aliquando non sic esse: masculinitas itaque in generatione erit potior, vt plurimum quàm sint alia quæ sunt socratis; & ea quæ sunt socratis, vt plurimum erunt potiora, quàm ea quæ sunt progenitorum; cuius ratio est, quia ea quæ sunt progenitorum, non habent efficatiam, nisi ratione qua sunt in socrate, & prout socrates participat conditiones illas, & propter quod vnum quodque tale, & illud magis. Sic etiam ea quæ sunt masculinitatis, sunt potiora, quàm ea quæ sunt socratis; quia in generatione socrates non habet efficatiam, nisi ratione masculinitatis: sed licet sit sic per se & vt in pluribus, aliquando tamen potest aliter contingere, quod triplicitet esse potest. Primo ratione ipsius spermatis. Secundo ratione ipsius menstrui. Tertio ratione aliorum circumadiacentium.

Ratione quidem ipsius spermatis, quia cum naturalia sint trãsmutabilia, & multis modis possunt impediri; potest contingere, quod spiritus qui exit cum spermate, est magis aptus ad recipiendum virtutem informatiuam, vt magis assimilet secũdum ea, quę sunt masculinitatis, quàm secundum ea, quæ sunt Socratis, vel forte è conuerso. Sic etiam poterit contingere, quod huiusmodi spiritus, magis sit aptus natus assimilare secundum ea, quæ sunt Socratis, quàm secundum ea, quæ sunt progenitorum,, vel è conuerso. Dicemus enim, quod virtus generatiua principaliter est in corde, & Socrates secundum complexionem cordis, potest habere aliqua de eis, quæ sunt progenitorum, habet etiam aliqua de his, quæ sunt propria.

Habet etiam tertio secundum cor, ea quæ requirit complexio masculina: poterit enim contingere, quod semen accipiens principaliter virtutem informatiuam à corde, maiorem fortitudinem habeat quantum ad ea, quæ sunt masculinitatis, vel forte quantum ad ea, quæ sunt Socratis, vel forte magis habet hoc quantum ad ea, quæ sunt Socratis, vel forte magis habet hoc quantum ad ea, quæ sunt progenitorum; vt si filius sit similis alicui progenitorum, quantum ad aliquam complexionem cordis, licèt non sit similis in facie, propter virtutem generatiuam principaliter existentem in corde, respectu formationis omnium membrorum, poterit ille filius generare alium filium similem non sibi, sed alicui progenitorum. Erit ergo vnus modus sic diuersificandi virtutem informatiuam, quod sit fortior in hoc, non in illo ex parte ipsius spermatis, prout virtutem accipit à corde patris. Secundus modus, vel secunda causa huiusmodi diuersificationis, potest esse ex parte menstrui, vt quia forte menstruum est magis aptum natum recipere impressionem agentis quantum ad ea, quæ sunt masculinitatis, quàm quantum ad ea, quæ sunt Socratis, vel è conuerso. Tertius autem modus, vel tertia causa huiusmodi diuersitatis, esse poterit ex parte aliarum conditionum circumiacentiũ, vt ex parte ciborum, vel ex parte aeris, vel ex parte ventorum, vel ex parte influẽtiæ cęlestis, vel ex alijs causis; poterit enim ex cibis generari tale menstruum, quod magis suscipiat hoc quàm illud, vel è conuerso, vel temperies aeris magis faciet ad temperationẽ huiusmodi impressionis, quàm illius, vel è conuerso; sic etiam poterit dominari tale signum cęleste, vel flare talis ventus, vel aliud similem diuersitatem disponet.

Aduertendum tamen, quod ſicut diximus, quod ea quæ ſunt Socratis ſiint potiora, quàm ea quæ ſunt progenitorũ; ſic ea quæ ſunt progenitorum propinquorum, ſunt potiora his, quæ ſunt remotorum; quia magis relucent in effectu, ea quæ ſunt cauſarũ propinquarum, quàm quæ ſunt remotarum: ideo vt plurimum filius debet aſsimilare patri, & ſi non patri, auo; & ſi non auo, proauo; & ſi non proauo, attauo, vt vltra quartam generationẽ raro vadat, niſi forte caſu, ſicut aſsimilaretur vni extraneo homini; quia raro relucent in homine, quæ ſunt ſic remota, vt poſsit ſibi aſsimilare filium ſecundum illa. *Cur patri vel matri s. alij*

Sic ergo dicendum eſt ex parte patris, quando ſemen ſuperat menſtruum, ſiue quantum ad maſculinitatem, ſiuè quantum ad ea, quæ ſunt progenitorum. Sed quando huiuſmodi ſemen inuenit reſiſtentiã materiæ, & non poteſt eam trahere ad naturam ſuam: & oportet quod fiat aſsimilatio ad ea, quæ ſunt matris, ſicut diximus, aſsimilationem fieri ad ea, quæ ſunt patris; ideo ſi ſit talis reſiſtentia ad ea, quæ ſunt fœmineitatis, vt non poſsit ſemen maris trahere materiam in hoc ad ſuam conditionem, generabitur fœtus fœmina: ſi vero ſit talis reſiſtentia quantum ad alia, quæ ſunt matris, generabitur filius ſimilis matri in alijs, vt puta in colore, vel in lineatione membrorum, vel in aliquibus talibus. Si vero ſit talis reſiſtentia quãtum ad ea, quæ ſunt progenitorum matris, vt puta, quia mater quantum ad complexionem cordis, vel quantum ad alia membra interiora, teneat aliquid de complexione progenitorum, & in hoc menſtruum ſit forte, & reſiſtens, poterit eſſe aſsimilatio alicui de progenie matris, ſiuè ſit maſculus, ſiuè fœmina; quia auo, & auiç matris, & proauo, & proauiç, & alijs de progenie matris, ſiuè maribus, ſiuè fœminis, poteſt fieri talis aſsimilatio. Sic etiam tenendum eſt de progenie patris, quia & maſculis, & fœminis de progenie tàm patris, quàm matris, poteſt fieri aſsimilatio, prout pater, & mater aliquo modo tenẽt de conditionibus illorum, ſecundum quæ ex alia ſpeciali cauſa concurrente, poteſt habere ſperma, ſiuè ſemen ſpiritualem fortitudinem ad cauſandum talem aſsimilationem,

Oſtenſo quomodo ſit aſsimilatio patri, vel matri, vel alicui de progenie patris, vel matris, volumus oſtendere quomodo poſsit fieri talis aſsimilatio alijs extraneis: in his enim quæ ſunt de progenie, non eſt mirabile, ſi fiat aſsimilatio, quia videtur quod hoc poſſet habere per ſe cauſam, ſicut recitat philoſophus in nono de *Aſſimilatio ſit etiã alijs.*

Animalibus, de quadam muliere, quæ fornificabatur cum viro nigro, & peperit filiam non nigram; illa tamen filia de viro non nigro, peperit filium nigrum: quod sic potuit contingere, quia licet illa fœmina nata ex muliere alba, & viro nigro, in membris exterioribus, non assimilaretur patri nigro, forte in complexione cordis, vel in membris exterioribus, aliquæ contraxit de conditionibus patris nigri, vt de hoc filiam nigram pareret. Sed cum fit assimilatio extraneis, non illis de progenie, videtur valde mirabile, posset tamen hoc contingere ex forti immaginatione, sicut dicitur de Iacob, quod virgas decortizatas proijciebat in aquas, quæ ratione motus aquæ, quandam variationem prætendebant; de qua aqua, oues post coitum bibentes, & nimis intensè virgas illas respicientes, pariebant fœtus vario colore coloratos, vt habetur in Genesi: sic etiam dicitur de quadam muliere, quod cum haberet Ethiopem depictum in camera, quem intensè aspiciebat cum copularetur suo viro, factum est, vt pareret filium nigrum; sic ergo ex forti immaginatione alicuius formę apprehēse extraneæ, patri, & matri, & vtriusque progeniti, poterit esse similitudo ad extraneum.

Sed hoc est valde raro, vel ille cui assimilatur fœtus poterit esse sic extraneus, cuius figura nunquam fuerit apprehensa à matre: ideo oportet dare aliam causam, dicemus enim quod multa contingunt circa dissimilitudinem propter innobedientiam materiæ; nam vbi est quasi generatio immaterialis, ibi effectus est omnino similis agenti, sicut formę intentionalis, quia quodamodo sunt formę sine materia, sicut dicitur de sensu, qui est susceptiuus formarum intentionalium, & specierum sine materia in generatione itaque talium, omnino genitum est simile gignenti, sicut immago in speculo generata à facie, est omnino similis faciei: nisi per accidens contingat ex ineptitudine speculi, nunquam autem propter resistentiam materiæ, filius est sic similis patri, sicut imago in speculo, est similis faciei. Sicut ergo potest esse tanta resistentia materiæ, & tanta ineptitudo, quod fit monstrum, vt quod non potest inducere ibi rectam formam hominis, & rectam formam alicuius membri, vt putà quia non habet manum, vel pedem, similem manui, vel pedi hominis; sic potest esse talis resistentia, & ineptitudo materiæ, vt virtus informatiua faciat quasi monstrum, vt non faciat filium similem, nec patri, nec matri, nec alicui de vtraque progenie; quod secundum philo-

philoſophum eſt mirabile, ideſt, eſt monſtrum, ideſt, eo modo ſit illud ſicut ſit monſtrum: virtus ergo informatiua, intendit aſſimilare ſibi paſſum, quantum poteſt: & ſi ſit obedientia materię, aſſimilabitur patri, vel matri, vel alicui de progenie patris. Si autem ſit ibi reſiſtentia materiæ, vel iſta reſiſtentia eſt ex eo, quod huiuſmodi materia habet conuenientiam cum matre, & cum aliquo de progenie matris, & tunc fiet ſimilitudo, vel ad matrem, vel ad aliquam de progenie, vel eſt illa reſiſtentia extranea, quod poterit contingere, vel ex cibis, qui contrariantur complexioni matris, vel ex aliquibus circumadiacentibus, vt ex conditione aeris, vel ex influentia cęli, vel ex alijs cauſis, ex quibus poteſt cauſari in menſtruo aliqua conditio extranea tàm matri, quàm his quæ ſunt de progenie eius; & tunc iſta extraneitas, vel eſt tanta, quod non poterit introduci debita forma mẽbri, & tunc eſt monſtrum ſimpliciter, vel introducetur ibi debita forma membri, ſed non ſimilis nec patri, nec matri, nec alicui de progenie, & tunc eſt monſtrum ſecundum quid, quia erit filius non ſimilis ſuo generanti. Quod autem ex hoc, talis fętus aſſimilabitur alicui alij valde extraneo, eſt fortuitum & cauſale, vt philoſophus innuit c 18. poterit enim fętus ſic natus, aſſimilari vni, quod nulli alij; oportet enim in talibus naturalibus, multa accidere ratione materiæ, fortuita & cauſalia & inexcogitata.

CAPVT XX.

Vbi colliguntur rationes, quæ obijci poſſent, quod ſanguis menſtruus non eſt propria materia fętus.

NEdetur aliquibus aſſerendi occaſio, quod ſanguis menſtruus non ſit propria materia fœtus, ſed magis ſperma fęmineum, volumus adducere, quæ poſſent contra obijci poſitioni ſuperius tradıtę: adducemus enim decem rationes, quæ quidam conati ſunt aſſignare, quod menſtruum

ſtruum non ſit propria materia fœtus, ſed magis ſperma fœmineum; vel ſi menſtruum poneretur talis materia, hoc erit ſolum quantum ad carnem, vel adipem, vel quantum ad aliqua ſupplementa membrorum, non autem quantum ad radicalia membra. Prima quidem via ſumitur ex obuiatione ſpermatis maris. Secunda ex concomitantia cõceptionis. Tertia ex differẽtia virtutis nutritiuæ ad informatiuam. Quarta ex purgatione menſtruorum. Quinta ex abſtinentia coitus: Sexta ex differentia generationis ad motum. Septima ex idoneitate materiæ ad formam. Octaua ex ſollicitudine naturæ. Nona ex impuritate menſtrui. Decima ex differentia maris, & fęminæ.

Prima via ſic patet: nam vt aiunt, illud eſt materia embrionis, cui in actu conceptionis obuiat ſperma viri, videtur autem hoc propoſito multum probabilis; nam cum generatio non fiat, niſi ex coniunctione actiui cum paſſiuo. Et quia id quod dat vir, ſe habet vt actiuum; id quod dat mulier ſe habet vt paſſiuum, ideo omnino videtur rationale, quod illud in muliere, ſe habeat vt materia, & vt paſſiuum ad generationem fętus, quod obuiat ipſi actioni, videlicèt ſpermati maris: huius autem non eſt menſtruum, ſed ſperma fęminæ.

Secunda autem via ad hoc idem ſumitur ex concomitãtia conceptionis: dicunt enim quod illud, quod ſui abſentia eſt cauſa priuationis generationis, & ſui preſentia eſt cauſa poſitionis; illud eſt proprie materia generationis; huius autem aſſerunt eſſe ſperma fęmineum, dicentes quod ſolum tunc fit generatio, quãdo tam mas, quàm femineum, ſperma emittunt.

Tertia quidem via ſumitur ex differentia virtutis nutritiuę ad informatiuam, dicunt enim hanc differre ab illa in hoc, quia perfectius obiectũ exigit virtus informatiua, quàm nutritiua; eius rationem aſſignantes dicunt, quod virtus informatiua, facit de non viuente viuens, & de eo quod non prefuit viuum, generat viuum: nutritiua vero mutat aliquid in aliquid præexiſtens, vt alimentum conuertitur in alitum, quod actu præexiſtit; id autem quod generatur de nouo, accipit eſſe non exiſtens prius: plus eſt ergo, & mirabilius opus, quod facit virtus informatiua quæ generat, quàm nutritiua quæ alit; nam nihil ſe ipſum generat, ſed nutrit & ſaluat. Cum ergo menſtruum ſit incompetens nutritioni, & non ſit obiectum virtutis nutritiuę, quia tanquam ſuperfluum expellitur à corpore, multo ergo magis videtur eſſe

com-

competens generationi, & non erit obiectũ virtutis informatiue. *Purgatio*

Quarta via ad hoc idem sumitur ex purgatione menstruorum; *menstruorum.*
nam vt dicunt, post sufficientem purgationem menstruorum facilius fit conceptio; & ideo medici quando volunt facere, quod mulier concipiat, dant experimenta matricem purgantia, & confortantia; vt tũc mulier coniuncta viro, facilius concipiat: si ergo magis idoneo modo fit conceptio post purgationem menstruorum, & postquam euacuata est matrix à menstruo, consequens est, quod menstruum non sit materia generationis, cum non fiat generatio per amotionem materiæ, sed per positionem.

Quinta via ad hoc idem sumitur ex abstinentia coitus, nam cum vir & mulier volunt prolem generare, dicunt per aliquod tempus à venereis abstinere, vt magis habeant sperma digestum, & vt sufficientius secundum quantitatem, ideo videmus quod nimis dantes operam venereis, raro generant: & mulieres infames raro concipiunt: sed sicàm in mari quàm in fœmina requiritur abstinentia à venereis, vt fiat sperma digestũ, & sufficiens in quantitate; oportet vtrumque sperma per se ad generationẽ concurrere: sed sperma maris ibi se habet vt agens, ergo sperma fœminæ se habebit vt materia: propter quod menstruũ non est propria materia fœtus.

Sexta via sumitur ex differentia generationis ad motum, generatio enim (vt aiunt) non est motus, sed terminus motus: nec fit tempore, sed in instanti illo, in quo est concursus duorum spermatum, vnius quorum est agere, alterius pati: sic enim (vt aiunt) fit talis generatio in instanti; vnde non præcedit tempus; de quo sit curandum; quia si præcederet tempus, non fieret generatio in coitu, sed post coitum: & quia tàm breue tempus, immo quasi nullum tempus requirit ad talem generationem, menstruũ quod in tàm breui tempore non posset disponi ad formam fœtus, non esset propria materia fœtus, sed fœminæ sperma.

Septima via sumitur ex idoneitate materiæ ad formam. Nam cum in materia fœtus debeat induci anima, quæ requirit corpus organicum habens diuersa membra, oportet humorem illum, qui debet esse materia proportionata tali formę, quod sit ita digestus, & propinquus ad membra, quod quasi habeat in se vestigium, & caracterem omnium membrorum: huiusmodi autem sic digestum, & sic caracteratum secundum proportionem ad membra, non potest esse sanguis menstruus, vt dicunt, sed sperma.

Intelli-

Intelligimus enim nomine ſpermatis, quod ſit propter fętum quaſi idolum omnium membrorum; ipſa ergo debita proportio materiæ ad formam, ſufficienter [vt videtur] arguit, quod materia fœtus non ſit menſtruum; ſed fœminæ ſperma.

Octaua quidē via ſumitur ex ſolicitudine naturæ, dicunt enim quod fruſtra natura eſſet adeo ſollicita de generatione ſpermatis mulierum, ex quo huiuſmodi ſperma non deſeruit ad generatiōē, nec vt agens, nec vt diſponens, nec vt materia, vt rationes ſuperius inducte videntur oſtendere; ipſa inquam ſollicitudo naturæ ſuffi cienter videtur arguere, quod ſemper fœmina deſeruit ad generationem aliquo prædictorum modorum. Sed non deſeruit vt agens, & vt diſponēs; qa non eſt huiuſmodi virtª actiua; deſeruit ergo vt materia, differt enim vt dicunt ſaluatio indiuidui à ſaluatione ſpeciei. Si igitur humor nutritiuus eſt propter ſalutē indiuidui, humor ſpermaticus erit propter ſalutem ſpeciei: ad generationem ergo principaliter non facit humor nutritiuus, ſed humor ſpermaticus, & per conſequens principalis materia, fętus non erit menſtruum, ſed ſperma.

Nona quidē ſumitur ex impuritate mēſtrui; quia huiuſmodi menſtruum [vt aiunt] quid ſuperfluum & impurum, & naturæ odibilem; ideo natura ordinauit tēpora ordinata ad expulſionem eius, tanquam ad expulſionem rei odibilis, & impurę: propter quod dicunt, quod ab omnibus auctoribus, ponitur menſtruum eſſe frigidum, melencolicum, ſiccum, & quaſi fex ſanguinis, tale autem ratione ſuę impuritatis, materia fœtus eſſe non poſſet.

Decima & vltima via ſumitur ex natura maris & fęminæ, dicūt enim quod homines carent menſtruo; quod non eſt (vt aiunt) niſi ratione imperfectionis, & indigeſtionis, quæ eſt in menſtruo. Cum ergo imperfectum, & impurum, non ſit ſic aptum natum ad recipiendum formam humanam, ſicut digeſtum, & purum: menſtruum, quod eſt huiuſmodi, non poterit eſſe materia fętus humani, ſed ſperma fęminæ.

CAPVT XXI.

Vbi adducimus quasdam obiectiones contra quasdam particulas in diuersis capitulis superius contentas.

NAtratis obiectionibus contra positionem à nobis superius traditam : dicemus obiectiones præfatas multas esse numero, sed modicas esse in efficacia, & virtute: attamen priusquam soluamus rationes prefatas, adducemus quatuor rationes breues, ostendentes non esse rationabile, nec veritati consonum, quod sperma fœminæ sit materia fœtus. Prima quidem via sumitur ex ipso huiusmodi spermate. Secunda ex loco emissionis. Tertia ex clausione matricis. Quarta ex nutrimento, & alimento fœtus.

Prima quidem via sic patet, nam licet sit omnino rationi consonum, quod sperma viri sumatur ex aliquo valde puro, & digesto, quod patet ex eo quod nimis debilitatur vir ex huiusmodi emissione; quia sicut dicit Auicenna tertio de Animalibus, quod quando ab homine exit sperma, multum decoloratur, & debilitatur suum corpus; magis quàm si quadragesies exiret de suo corpore sanguis tantus. Quando enim secundum ipsum, exit in maiori quantitate, quàm secundum illud quod fuit residuum de nutrimento membri, valde debilitatur corpus; quia illud quod tunc exit, est habilissimum ad nutritionem membrorum. Sed licet sic sit in viris, dubitatur tamen à multis, vtrum sic sit in feminis, quod illud quod emittit fœmina sit de materia sic pura, & digesta, quod & si debilitatur ex venereis fœmina, forte non tantum, vt vir. Et debilitationis illius assignari posset alia causa, quàm puritas materiæ, & spermatis eius. dato tamen quod sperma fœminæ fieret de tam pura, & digesta materia sicut & viri, non tamen propter hoc possemus sufficienter concludere, quod esset propria materia fœtus; immo hoc etiam posito, menstruus san-

Coitus debilitat.

guis non ille impurus, qui eijcitur tanquam quid putridum, & infectum; ſed ille qui poſt purificationem illius impuritatis, ingñatione fętus ſtillat in matrice, erit magis ꝓpria materia fętus.

Quando ſit ſperma.

Dicemus enim quod humor ille, qui eſt habilis ad nutriendum membra, & qui poteſt fieri ſperma, attractus ad vaſa generationis, quamdiù talis humor eſt in membris, non eſt ſperma; & poſtquam attractus eſt ad vaſa generationis, non eſt humor habilis ad nutriendum membra, ſed ex organis generatiuis, ad quæ attrahitur humor ille, ſuam complexionem variat, cum iam eſt ſperma factus. Dato igitur quod humor ille in viro, qui omnino eſſet habilis ad nutriendum membra, ſi fieret inde ſperma, & poſſet ſperma redire ad membra, non eſſet habile nutrimentum membrorum; quia membra non nutriuntur ſpermate, ſed ſanguine, accipiendo ſanguinem pro ſanguine digeſto, qui eſt ſic propinquus nutritioni membrorum, quod modica tranſmutatione indiget; vel modicum temporis ibi apponitur, vt fiat inde cambium, & vbi tranſubſtantietur in membra; ſperma itaq; non eſt proprium nutrimentum membrorum; & ſi poſſet eſſe nutrimentum, non eſſet ita aptum, & habile ſicut ſanguis. Propter quod bene dictum eſt, quod ille idem humor, qui exiſtens in venis, vel in membris eſt habiliſſimus ad nutriendum membra, ſi conuertatur in ſperma, & poſſet ſic conuerſus redire ad membra; quia ex tali conuerſione, ſuam complexionem variaſſet, in habile factum eſſet, vt conuerteretur in membra: nec valeret ſi quis diceret, quod ſperma fęmineum non eſt materia fœtus tanquam nutriens, ſed tanquam primum conſtituens; quia ex eijſdē nutrimur, & ſumus.

Dicemus ergo, quod ſi vir præſtaret materiam in generatione fœtus, nunquam ſperma poſſet eſſe materia; ſed ex humore illo, huiuſmodi materia ſumeretur, quod eſſet habilis, vt conuerteretur in membra: ideo antequam fieret ſperma, vel antequam conuerteretur in membra, ſperma poſſet forte ſumi talis materia; non autem cum iam eſſet in ſperma conuerſus: & quod dictum eſt in maſculo quantum ad propoſitum ſpectat, veritatem habet in fęmina. Nam ſi humor ille, qui eſt materia ſpermatis in fœmina, eſſet habilis vt conuerteretur in membra fętus; iam ſperma inhabile redditur: vnde & ſi talis humor in fęmina, iam factus ſperma, eo modo quo fęmina habet ſperma, ad membra rediret, non eſſet membrorum habile nutrimentum; niſi aliquis

ta desiperet, quod diceret sperma esse proprium nutrimentum membrorum. Et licet fœmina non propriè habeat sperma, vt diffuse probat Auicenna in nono de Animalibus: in humore tamen illo, quem emittit fœmina tanquam sperma, multũ diuersificatur complexio, quando est in membris, & quando iam factũ est sperma. Dicemus ergo aliquid purum quærere, tanquam materiam fœtus; sed tale purum quod sit habile, quod inde fiant membra; non autem tale purum, quod sit inhabile, quod conuertatur in membra; à membris ergo fœminæ, vel à corpore fœminæ stillat in matrice, quod est materia fœtus, & vnde fiunt membra: non autem sperma fœmineum attrahitur, vt fiat inde fœtus, vel vt fiant inde membra eius; quia ex eo, quod humor ille est sperma factum, inhabilitatem contraxit, vt fiant inde membra, & per consequens vt sit fœtus materia.

Secunda via ad hoc idem sumitur ex loco emissionis spermatis. Nam propriam materiam quærere debemus in proprio loco generationis, vt si proprius locus generationis metallorum sunt venæ terræ, in ipsis venis terræ quæremus materiam metallorum. Si enim sperma fœminæ esset propria materia fœtus, ordinasset natura quomodo in ipsa matrice, quæ est proprius locus generationis, distillaret huiusmodi sperma; non autem quod emitteretur extra matricem: propter quod ordinauit natura, quod fieret emissio huiusmodi spermatis extra matricem, vt ibi coniunctum cum sperimate maris, haberet aliqua iuuamenta ad generationem, non autem quod esset generationis materia.

Tertia via sumitur ex clausione matricis: nam si sic esset sperma fœminæ conueniens materia fœtus, nõ ordinasset natura quod matrix clauderetur tempore conceptionis, & quod non posset tunc temporis recipere sperma. Sed magis ordinasset aliquos meatus, vel aliquas aperturas in matrice, vt tempore conceptionis attraheretur tale sperma, ne perderetur illo tempore, quod esset sic materia habilis, vt fieret materia fœtus. Dicemus enim quod tempore impregnationis, in principio fœmina aborret venerea. sed postea, vt dicitur, post duos menses, vel post tres desiderat, & concupit coitum. Cum enim natura sic sit sollicita de conseruatione speciei, vt totum opus faciat meliori modo, quo fieri potest, magis ordinasset, quod toto tempore impregnationis concupisceret coitum, quod non perderetur, quod esset sic expediens naturæ prolis, & quod esset sic propria materia eius.

Quarta quidem via ſumitur ex nutrimẽto, & augmento prolis; quę via tertia eſt completiua quartę. Nam licet matrix ſic claudatur, non tamen eſt in omnibus æqualiter clauſa; ita vt aliquę fęminæ, licet raro, ſuper impregnationem recipiant. Cum ergo matrix aliquando recipiat ad ſuper impregnationem faciendam, quæ vt plurimum eſt leſiua prioris fœtus; multo fortius ordinaſſet natura, non ſolũ quod raro; ſed etiam quod ſepè recipet matrix ad nutritionem, & augumentationem fętus, quod non eſſet leſiuum, ſed eſſet iuuamentum eius, & ad perfectum eius. ſomniat etiã fęmina ſicut & mas. Si ergo natura eſt ſagaciſſima, & generat fœtum meliori modo quo fieri poteſt, ordinaſſet quod tempore impregnationis, multum abundaret fęmina in ſpermate per ſomnium, & aliter tunc temporis fieret frequens emiſſio: vt hoc modo ex materia ſic conuenienti, non ſolum generaretur ſed vniretur fętus, vt caro eius, & membra ipſius fierent de pura, & conuenienti materia.

Super impregnatio

CAPVT XXII.

In quo ponuntur ſolutiones ad omnes obiectiones præhabitas.

POſtquam collegimus rationes contradicentes poſitioni ſuperius poſitæ; volumus illas rationes ſoluere. Cum ergo primo dicitur, quod illud eſt materia fętus, cui obuiat ſperma viri. Dicemus, quod naturalia determinant ſibi proprium locum generationis: obuiatio ergo actiui ad paſſiuum extra locum generationis ponere non debemus, quod per ſe, & principaliter ad generationem faciat; dicemus ergo, quod in fœmina eſt duplex menſtruum, vnum valde impurum, quod emittitur velut ſuperfluitas, & velut quid ineptum ad generationem. Quamdiù enim durat fluxus illius menſtrui, non eſt debitum tempus generationis; immò ſi tunc temporis fieret conceptio, fœtus fieret infectus, vel leproſus, vel ſuffocaretur propter nimium fluxum, & abundantiam illius materiæ: ideo omnino inhibendum eſt maribus,

ne tunc ad vxores accedant: sed post purgationem illius materiæ sic impurę, est congruum tempus ad generationem; quia tunc à membris,& à corpore mulieris est aptum natum stillare menstruum purum in matrice, quod potest obuiare spermati maris in proprio loco generationis, vt hoc modo fiat generatio fętus: non enim fuisset sagax,& prudēs natura, si obuiationem actiui ad passiuum, vnde debeat fieri generatio, ordinasset extra propriū locum generationis. argumentum ergo non concludit quod intendit, sed magis petit, quod est in contrarium, & concludit oppositum, cum obuiatio illa de qua arguit, sit extra propriuim locum generationis: habet enim ad generationem talis obuiatio, aliqua iuuamenta, vt super ostendebatur. Cum ergo sperma viri extra locum generationis; obuiet spermati fęminæ, in ipso autem loco generations possit obuiare menstruo, sufficiēter nos debet instruere, quod propria materia fętus, sit ipsum menstruum, non sperma, sed solum habere posset ad hoc aliqua iuuamenta. Consueuit ergo dici, quod reliquiæ menstrui sunt materia fętus; quod sic est intelligendum, quod primo stillat menstruum grossum, & abijcitur tanquam impurum, à quo purgatur matrix: stillat postea magis purum, quod potest esse materia fætus. *Fluxus menstrui.*

Quod vero secundo addebatur de concomitantia conceptionis, vbi asserebatur, quod cum fœmina sperma emittit, potest fieri conceptio: non potest autem fieri sine tali emissione, vt ex hoc fiat talis concomitantia vnius ad altęrum; propter quod videtur, quod ex hoc habeatur, quod sperma fęminæ sit propria materia fætus, dicemus; quod concessis præmissis, non sequitur conclusio. Nam causa sine qua non, non semper est causa per se: sed potest esse per accidens, vt si omnis factor statuę esset musicus, & è conuerso, posito musico, poneretur factor statuę, & è conuerso; musicus tamen non esset causa statuæ per se, sed per accidens: ratio itaque illa falsa recipit, & non sillogizat: accipit quidem falsa; quia ponit, quod vbi fœmina sperma emittat, non potest fieri conceptio, cum tamen experimentis multis contrarium sit inuentum. Et si dicatur de vetula illa, quæ dixit se in balneo concepisse, quod vt suam fornicationem celaret hoc dixit; dicemus quod inuentum est à multis nuptis ex proprio viro concipientibus sic se habere, & quod vna, vel duæ deciperentur; & quod semel fieret deceptio; sed quod tot, & quotiens asserant sic se habere, & in tali materia nolle expertis credere, vel est protervitæ,

vel

vel est declinare ad insipientiã. Rursus præfata ratio, vt potest patere per habita, non solum falsa recipit, & in materia peccat; sed etiam non sillogizat, & delinquit in forma; quia dato sic esse causa sufficienter, concluderetur quod sperma fœminæ esset sine qua non, non tamen quod esset causa per se, sed quod esset propria materia generationis.

Quod ergo addebatur tertio, de differentia virtutis nutritiuæ, ad informatiuam, & quod perfectius obiectum requirit virtus informatiua, quàm nutritiua. nec concluditur ex tali intentum, nec propositum, sed magis itur extra intentionem, & affirmatur oppositum. Rationes enim tales, positionem à nobis narratam, non infringũt; sed magis approbant, & confirmant; quia & si menstruum est inepta materia virtutis nutritiuæ, loquendo de menstruo, de quo formatur fœtus, multo magis est huius inepta materia sperma. Nam licet menstruum illud impurum, post cuius abiectionem est impregnationis tempus, iuxta illud Auicenna in nono de Animalibus, quod quãdo mulier complete menstruatur, post erit tempus naturale impregnationis; sit quasi inepta materia omnino ad nutriendum ibi menstruum; tamen quod postea distillat quasi purum, quod potest esse competens materia fœtus, magis est apta materia nutritionis, quàm sit quodcunque sperma; quia membra vt superius diximus, non nutriuntur sperm ate, sed sanguine.

Concedimus ergo, quod talis debet esse materia nutritionis, quod possit conuerti in membra, & concedimus quod talis debet esse materia generationis, & virtutis formatiuæ, ex qua possint fieri membra. Si ergo sperma non est apta materia, vt conuertatur in membra; etiam non est debitum obiectum virtutis nutritiuæ; sed magis tale obiectum est sanguis; multo magis secundum rationem tactam, sperma non erit materia generationis; nec erit obiectum virtutis informatiuæ; sed magis tale obiectum erit sanguis: ratio ergo facta, non arguit propositum, sed oppositum. Sed si illud debet esse obiectum virtutis informatiuę, ex quo multum habiliter possunt fieri membra, & etiam magis habiliter, quã ex obiecto virtutis nutritiuæ, quia sperma non est habile, quod conuertatur in membra, non erit sperma materia debita nutritionis, nec etiam generationis.

Et vt clariori modo appareat defectus rationis factæ, dicemus rationem præfatam, ex duplici ignorantia processisse. Primo quidem,

quidem, quia magis & minus in actione, non semper oportet exquirere ex habilitate materiæ, sed ex fortitudine agentis; vt quia ex eadem materia, vel etiam ex minus habili, agens fortius potest excellentiorem effectum facere, quam agens debilius ex materia magis habili; ideo sperma viri propter sui spumositatem, cum nimia abundantia spirituum, efficatius est ad faciendam generationem ex materia sibi proportionata, quam membra nutritionum ex alimento ad ipsa transmisso: agit enim sperma in virtute omnium membrorum, ita quod quasi vnitiuam virtutem habet ad formandum omnia membra; quam virtutem ipsa membra quasi sparsam, & diuisam habent, & quia virtus vnita fortior est se ipsa dispersa, si efficatiorem effectum facit virtus informatiua, quàm nutritiua, non oportet hoc exquirere ex maiori habilitate materiæ, sed sufficit hoc exquiri ex maiori, & fortiori efficacia agentis: non enim in nutriendo, actio virtutis informatiuæ attribuitur principijs diuinis, magis quam nutritio membrorum, quia magis modo diuino, & magis vnitiuo, habet sperma vim omnium membrorum, quam habeant ipsa membra: nam membra diuisa & distincta, existentia diuisim & distinctè, habent quod sperma continet vnitiuè. Secundo deficit prehabita ratio, quia puriùs, & impuriùs: habilius, & minus habile in materia, non est accipiendum secundum actionem, sed secundum passionē; vt non est illa habilior materia, quæ magis potest agere, sed quę magis pati; immo quod magis potest agere, quia minus potest pati, ex hoc fit inhabilior materia.

Virtus informatiua

Illud ergo ex quo fit sperma etiam fœmineum, quamdiù est in membris, vt supra tangebatur; forte est magis habilis materia, vt conuertatur in membra, quam sit menstruum; sed postquam conuersum est in sperma, & transmissum est ad vasa, vbi fit generatio spermatis, si posset tale sic existens reuocari ad membra, nō etiam apta materia nutritionis, nec esset quid habile quod conuerteretur in membra. Vasa ergo generationis spermatis, impediunt habilitatem materiæ, vt quia variant, & mutant complexionem humoris, per quam est habilis, vt conuertatur in membra, vel quod fiant idem membra, vel quia dant ei actiuitatem, & quandam actiuam virtutem ad agendum; quod si hic secundus modus non est in spermate fœminæ, quia non est ibi virtus actiua, est tamen ibi primus modus, videlicét, permutatio complexionis, vnde sumebatur habilitas, vt fierent ex tali humore membra, &

habilitas generationis.

bra, & vt conuerteretur in membra; quia vt tangebamus, si humor ille etiam in fęmina iam factus sperma, reuocaretur ad membra, esset inhabilis quod conuerteretur in membra.

Quod autem secundo dicebatur, quod post sufficientem purgationem menstruorum, est habile tempus generationis, & conceptionis, dicemus quod equiuocatur in menstruo, quia post purgationem menstrui impuri, incipit stillare in matrice menstruum purum, ideo tunc est congruum generationis tempus, vt generetur fœtus ex materia pura, non ex impura. Et si dicatur, vbi remanet illud menstruum cum purgata sit matrix? dicemus quod remanet in membris, & in corpore mulieris: vnde post abiectionem à matrice menstrui impuri, incipit ibi stillare menstruum purum: igitur menstruum abijcitur tanquam materia inepta, cum fluit impurum, & eligitur à natura tanquam materia generationis apta, cum incipit stillare purum.

Quod autem addebatur, scilicèt de abstinentia à venereis: dicemus, quod in viris, & fœminis secundum Philosophum in de Animalibus, debilitatur corpus ex nimio venereorum vsu: corpore autem debilitato, materia quam dat mulier, non est sic idonea; & sperma quod dat vir, non est sic perfectum: oportet enim humorem illum, qui se habet vt materia fœtus, aliquam decoctionem accipere in corpore fœminæ, vt sit materia generationis debita, à qua decoctione deficit, debilitato corpore eius. Possunt autem aliæ causæ assignari, quia se nimis vtentes venereis, raro concipiunt; vt quia forte ex nimio tali vsu, sit matrix nimis lubrica, vt non possit retinere sperma: vel etiam ex nimio tali vsu adeò tollitur, & remittitur delectatio, vt matrix non delectabiliter recipiat, vt ex hoc non sit ad concipiendum apta: vnde Auicenna ait quod mulieres multum coeuntes, non delectantur in coitu. Quærebat ergo ratio facta, quia moderata abstinentia à venereis, tàm in maribus, quàm in fęminis, facere ad faciliorem, & frequentiorem generationem: sed non arguebat propositum, dicemus enim ad formam argumenti, quod in fœminis abstinentia à venereis, facit vt facilius, & aptius fœmina concipiat, non quia sperma eius sit magis purum; sed quia magis, vel minus debilitato corpore, menstruum eius sit indigestum: & ne matrix sit nimis lubrica, & ne sine delectatione recipiat sperma.

Quod vero sexto dicebatur, de differentia motus, & generationis, quia generatio fit in instanti: dicemus, quod cum generatio fit

tio sit ex contrarijs, & in contraria, quia semper in generatione oportet expelli formam contrariam, & induci formam propositam; nunquam fiet generatio, idest, introductio formæ in instanti, sine tempore præcedente, & disponente materiam. Generatio enim intẽtionalis, vel multiplicatio spetiei coloris, potest fieri in instanti; quia aer recipiens colorum spetiem, vel similitudinẽ, non habet contrarietatem ad talem susceptionem. Sic etiam multiplicatio lucis fit in instanti, quia in aere non est forma contraria ipsi luci, licet ibi possit esse priuatio lucis. Si enim passum non haberet contrarietatem ad agens, in illo instanti, in quo agens apropinquaret passo, induceret ibi formam. Sed ratione contrarietatis, requiritur ibi tempus: & quia omnes generationes naturales, & reales, vt patet ex primo phisicorum, & xij. methaphisicorũ, sunt ex contrarijs, ideo semper requiritur ibi tempus: vnde & philosophus primo de generatione in capitulo de actiuis & passiuis, volens concordare sententias antiquorum, quorum quidam dicebant, quod contrarium patitur à contrario, & simile à simili, dicit, quod agens & patiens sunt in principio contraria, in fine vero similia. Statim ergo cum agens apropinquat passo, incipit agere; sed huiusmodi actio cum fundetur in motu, fit in tempore; post quod tempus, inducitur forma; nec est inconueniens ad generationem alicuius rei perfectę, quod sint ibi multe generationes & corruptiones, vt semper procedatur de imperfecto ad perfectum, donec sit completa generatio.

Secundum ergo hoc, describemus generationem fœtus, quod aptiori modo fit, cum sperma maris obuiat spermati fœminę, quia hoc modo habilius recipitur à matrice; sed postquam est sic receptum, si est tempus ad generationem habile, statim incipit stillare à membris fœminę menstruũ purũ in matrice, quod sit vtile & ex parte fœminæ, & ex parte passi, & etiam ex parte agentis: ex parte quidem passi, quia tunc habile tempus est ad generationẽ, quando purgata est matrix à menstruo impuro, incipit stillare menstruum purum. Ex parte quidem agentis, quia potest ad hoc operari aliquid sperma viri, vt virtute eius stillare statim incipiat huiusmodi menstruum, vnde generatio fiat grossa. Est enim imaginatio, quod statim in ipso coitu, ex prima coniunctione spermatum, generatio fiat extra matricem, quæ est locus naturalis generationis, fieret secundum hanc ypotesim, naturalis generatio extra locum generationis naturalem. habent enim isti

pro inconuenienti, quod non est inconueniens, videlicet, quòd post actum venereum, vt post emissionem, fiat generatio.

Cum enim huiusmodi emissio, & coniunctio, fiat extra matricem, & post fiat conceptio in matrice, erit generatio post emissionem, & post coniunctionem, non in conjunctione facta quidē de receptione in matrice, si debeat ibi fieri generatio, vt plurimū statim incipit ibi esse triplex humor, videlicet, sperma viri, sperma fęminę, & menstruū distillans; & quia sperma fęminę propter rationes superius habitas, nec potest esse vt agens, nec vt materia, sed solum habet ibi, vel habere potest quasdam vtilitates alias, ideo menstruum stillans incipit ibi esse materia, quod propter sui paucitatem in principio, sic semper vincitur à spermate viri, quod est spumosum & album, quod statim, vel quasi statim dealbatur: propter quod compertum est, quod embrio in principio est quid album, & quasi lac, vel quasi butirum. Cum ergo dicitur quod in breui tempore, non posset menstruum sic dealbari, videmus experimentum contrarium, nam cum lac non sit nisi menstruum dealbatum in mammillis, si tanta copia menstrui potest sic breui tempore dealbari; non est inconueniens, quod virtute spermatis tàm quid modicū, sicut est id quod in primordio est materia fętus, cito dealbetur. Auicenna tamen in nono de Animalibus videtur velle, non esse remotum à ratione, quin prætet sanguinem menstruum sit in muliere alius sanguis, & ipse sit sanguis dealbatus, forte tunc est aptum tempus impregnationis, quando post purgationem menstrui impuri, incipit stillare in matrice aliquid ita decoctum, quod est quasi album: quam albedinem, non habet ex fleumate, quod sit męstruum fleumaticum, sed ex decoctione, quod sit menstruum bene decoctum; & si tale quid decoctum volumus vocare sperma, sicut verba Auicennę in nono de Animalibus sonare videntur, dicemus non esse inconueniens quod tale sperma sit materia extra matricem, & quod imnitritur cum impulsu, & delectatione esse materiam fœtus: quod ipse locus emissionis designat, cum emittatur extra matricem, vbi est proprius generationis locus: sed si vocare vellemus sperma fœminæ, quod à membris eius in matricem stillat, non est inconueniens, tale sperma esse materiam fœtus. vtrum autem sic sit, quod in ipsa matrice stillet duplex sanguis, quando est habile tempus ad generationem, primo quidem magis decoctus, & quasi albus; & postea rubens, vel quod virtute spermatis mas

extra matricem.

quid stillat in matricem.

fiat talis dealbatio, & maximè in principio, quando modica materia sufficit ad generationem, cui modice materiæ, magis potest dominari agens; non refert, prout spectat ad solutionem rationis facere, quia quocumque modo ponatur, non oportet multum apponi de tempore ad dealbationem talis materiæ.

Quod autem vlterius 7. dicebatur ex idoneitate materiæ ad formam, quia oportet materiam valde idoneam esse formæ, & quia humorem illum, in quem debet induci forma animalis, oportet esse ita decoctum, & digestum, quod sit propinquus ad membra animalis, & quod in se habeat vestigium, & caracterem omnium membrorum, cuiusmodi nō est sanguis menstruus, sed sperma, leue est soluere. Nam huiusmodi propinquitatem ad membra, & huiusmodi formam membrorum, debet dicere illud quod est materia fœtus, non actiue, quod sit omnia membra fieri: huiusmodi autem propinquitatem, & si habet humor, qui est materia spermatis, dum est in membris antequam fiat inde sperma, tamen talis humor iam tractus ad vasa deseruientia generationi, qualitercunque deseruiant conuersus in sperma, quia mutatus est à sua complexione, iam elongatus est ab illa propinquitate, qua propinquus erat, qnod esset membra fieri. Diximus autem de membris deseruientibus generationi animalis; & potissimè de membris, quorum virtute fit sperma, qualitercunque generationi deseruiant, quia aliter videntur deseruire in generatione testes in mari, & in fœmina, & aliter generationi sperma matis, quod deseruit directè, & principaliter, dans formam, & aliter sperma fœminæ, quod nec dat formam, nec se exhibet, vt materia; sed solum habet etiam quædam alia iuuamenta. diximus etiam quod propinquitas in humore illo, qui est materia animalis ad membra, debet esse passiue, quod fit omnia membra fieri, non actiue, quod sit oīa mēbra facere: non q̄ ex hoc habere velimus, quod sperma in fœmina, sit omnia membra facere, nisi forte indirectè, inquantum dat aliquod iuuamentum spermati matis, vt superius dicebatur; sed pro tāto hoc diximus, quia humor ille, qui in fœmina est materia spermatis, & ante conuersionem in sperma, erat propinquus ad membra fieri, & vt conuertetur in membra, iam sic conuersus, & à sua complexione variatus, ab illa propinquitate, & idoneitate recessit.

Secundum hoc ergo, sperma fœminæ conuenit, & difert à sperm
mate viri: nam sperma viri, cum hoc quod non est habile, quod

sit materia fœtus, & quod conuertatur in membra, aquisiuit & tiam vt posset inducere formam in membris, & vt possit materiam fœtus organizare, & ipsam in membra conuertere. sperma quidem fœminæ, vel humor ille, vnde fit sperma, iam in sperma conuersus, inhabilitatem contraxit, quod sit materia membrorũ; virtutem tamen actiuam non acquisiuit, quod possit organizare materiam, vel quod possit eam disponere ad formam, vel ibi inducere formam: & quia sperma magis sonat, & magis dat intelligere, quod acquisiuit actiuitatem, vt inducat, vel vt disponat ad formam, quàm quod recessit à passibilitate, vt sit debita materia; ideo sperma fœminæ, & si à passibilitate recessit, vt non sit idonea materia fœtus, tamen quia actiuitatem non acquisiuit, vt possit inducere, vel disponere formam, ideo dictum est equiuoce sperma: inde est quod Auicen. in nono de Animalib. diffuse pertractat, quomodo sperma fœminæ, equiuoce sperma nuncupatur.

Ad formam autem arguendi, quod magis est quid idoneum propinquum ad membra, sperma fœminæ quàm menstruum, dicemus quod sperma fœminæ potest dupliciter considerari, videlicet, vt est humor in membris, & sic fortè est magis aliquid digestum, & per consequens quid idoneum, & quid habile, vt conuertatur in membra, quàm menstruum; vel vt est iam in sperma conuersum, & per consequens à sua complexione variatum, & sic non est quid sic idoneum, sicut est ipsum menstruũ, loquendo de menstruo puro, quod est habile, quod conuertatur in membra, & quod sit generationis materia.

Ex hoc autem patere potest illud verbum philosophi in xv. quod sperma fœminæ, non est conueniẽs generationi; quia nec est sperma, nec etiam menstruum; quia vt diximus, humor ille in fœmina, est materia spermatis per conuersionem in sperma, recessit ab idoneitate passiua, vt iam non sit habile, quod conuertatur in membra, vel quod sit membrorum materia: & vt diximus, talis humor in fœmina conuersus in sperma, per talem conuersionem sic recessit ab idoneitate materiali, & passiua, quod non sit vlterius idoneum, vt sit membra fieri; quod tamẽ non acquisiuit virtutem actiuam, quod sit membra facere; igitur quia recessit ab idoneitate passiua, dicitur non esse menstruum, & non esse conueniẽs generationi tanquam materia: quia vero non acquisiuit virtutem actiuam, dicitur non esse sperma, & non esse conueniẽs generationi tanquam dans formam;

Sperma fœminæ non sit vti

Ad-

Aduertendum tamen, quod distinximus de humore, qui est materia spermatis in fœmina, vel vt est in membris,& sic diximus forte esse magis quid digestum, & magis aliquid idoneũ, vt conuertatur in membra, quàm ipsum menstruum; quod ideo apposuimus ibi, fortè sub dubio locuti sumus, quia apud multos est dubium, qualis sit humor ille, qui in fœmina est materia spermatis, vtrum sit quid digestum, vel quid indigestum,& superfluum. Dicunt enim aliqui, hominem emittere, quod melius, fœminam quod peius; semper enim vt dicunt, ex impregnatione leditur mulier, quia multi boni humores transeunt in substantiam fœtus, qui cederent in nutrimentum membrorum fœminę si impregnata non esset: non tamen sic est (vt aiunt) de vsu venereorum; vbi secũdum eos,quid indigestum à fœmina emittitur. Addunt autem quod si ex vsu venereorum, fœmin. læditur, hoc est ex alijs causis; non quod ex emissione spermatis debilitetur virtus; nisi forte adeo emitteret, quod oporteret propter defectum illius materiæ superfluæ, etiam quod est in ea quid purum in huius materiam cedere, vt secundum eos, sicut & in omnibus ex nimio venereorum vsu, aliquando sanguis emittitur, vt secundum hoc,sit modus conuersus in mari, & fœmina; vt in mari sperma sit quid valde digestum; quo deficiente, supppleat vices eius sanguis, qui est quid magis indigestum: in fœmina vero è conuerso, sit materia quid indigestum, quo deficiente, suppleat vices eius, quid digestum habile. Quicquid tamen sit de hac materia, semper habetur intentum, quod scilicet humor ille, qui est idonea materia spermatis in fœmina, vt est in membris,siue sit quid digestum, vt conuertatur in membra, siue non conuersus,tamẽ in sperma à tali habilitate discessit, vt non vlterius sit debita membrorũ materia.

Quod vero dicebatur 8. de sollicitudine naturæ, quod si sperma fœminæ non faceret directe ad gñonem, non esset de eo sic sollicita natura: & cum humor nutritiuus in fœmina, faciat ad conseruationem indiuidui, oportet quod humor spermaticus in ea faciat ad conseruationẽ speciei: dici potest, quod nisi esset tanta delectatio in fœmina in vsu venereorum; quælibet naturaliter aborreret masculum, cum tot passiones, & dolores naturaliter sortiatur ex partu: sollicita ergo fuit natura, vt ibi tantam delectationem apponeret,& spreto futuro dolore, vel etiam ignominia ad talem actum concurrente,præsens quasi naturaliter inclinat;habet tamen nihilominus humor spermaticus in fœmina

Sollicita natura.

plura

plura iuuamenta ad generationem, vt non immerito de huiuſmodi humore, natura eſſet ſollicita.

Quod autem dicebatur 9. quod menſtruum eſt quid impurũ, naturæ odibile, frigidum, ſiccum, melenconicum, &c. equiuocatur in menſtruo; quia loquitur de menſtruo, ad cuius expulſionem, natura certa tẽpora ordinauit, in quibus temporibus, non eſt idoneum generationis tempus; ſed poſt expulſionem illius menſtrui impuri, quod eſt ſic naturæ odibile, fit habilitatio in membris, vt inde in matrice ſtillet menſtruum purum, quod eſt generationis materia idonea: ideo dicunt Auctores Medicinæ, quod poſt illam purgationem, quando iam debet incipere ſtillare menſtruum purum, eſt congruum generationis tempus.

Quod quidẽ addebatur 10. de differẽtia maris, & fęminæ; quia mares carent menſtruo, quod non eſt niſi ratione ſuæ indigeſtionis, & imperfectionis, dicemus, quod mares carẽt menſtruo vtroque, puro & impuro; habent enim mares meliorem complexionem, quàm fœmina quantum ad generationem; propter quod poteſt in eis generari verum ſperma, quod eſt quid nobilius, & dans formam: in fęminis vero quarum complexio hoc non patitur, ne eſſent inutiles ad conſeruationem ſpeciei, ordinauit in eis natura menſtruũ, quod in generatione ſe exhibet, vt materia; vt hoc modo mas, & fęmina deſeruirent ad conſeruationem ſpetiei, quia fęmina in generatione præberet materiam, maſculus autem induceret formam. Differentia ergo maris, & fęminæ hoc non arguit, quod menſtruum loquendo de menſtruo puro, non ſit in generatione materia; ſed quod fęmina ex ignobilitate ſuæ complexionis, non poteſt aliquem humorem tantum decoquere, & tantum tranſmutare, quod fiat verum ſperma, & quod det in generatione formam; ideo natura ordinauit in ea menſtruum, quod in generatione ſe exhibet vt materia.

CA-

CAPVT XXIII.

Vbi adducuntur quędam obiectiones contra quaſdam particulas in diuerſis capitulis ſuperius contentas.



Miſſo primo capitulo, vbi ſolum narrantur rationes, quæ imponuntur Galeno, quòd in ſpermate fęminæ ſit virtus actiua, quia & in ſecundo, & tertio capit. difusè oſtendebatur, quod ſperma fęminæ, nec tanquam dans formam, nec tanquam materiam ad generationem eſt vtile; ideo rationes adduximus, quę poſſent fieri in contrariũ, quod huiuſmodi ſperma ſe haberet tanquam materia, & eas ſoluimus: nam & ſi aliquæ rationes ad hoc circa libri principium in prioribus capitulis adducebantur, & ille ſoluebantur, tamen quia poterant plures fieri, quæ aliquibus forte viderentur validiores, & fortiores, ideo volumus illas rationes circa finem huius tractatus adducere, & etiam ſoluere: quibus adductis, & eis iam ſolutis, quia contra aliqua verba circa finem tertij capituli poſita, & etiam contra multa alia capitula ſequentia, poſſunt aliquę obiectiones fieri, ideo in hoc capitulo, illas obiectiones adducimus, & poſtea obiectiones illas in ſequenti capitulo ſoluimus, vt non vlterius ad complementum tractatus reſtet, niſi addere vltimum capitulum, in quo ſit finis libr.

Adducemus etiam quantum ad præſens ſpectat. 14. obiectiones contra quædam poſita circa finem tertij capituli, & contra quædam poſita in quibuſdam capitulis ſequentibus.

Dicebatur enim in tertio capitulo, quod vltimus cibus membrorum eſt ſanguis, ſicut verba philoſophi in pluribus locis in de animalibus aperte dicunt. contra quod obijcitur, quod ſanguis non poteſt eſſe vltimus cibus membrorum, niſi per digeſtionem apratus membris ſimilitudine vltima, quia vt dicunt, oportet quod ſanguis, quo debet nutriri aliquod membrorum, quamdiu

manet

manet ſanguis, fit communis materia nutritionis, & indifferens omnibus membris. ſed ſi debet aliquod membrum nutrire, oportet quod determinet ad tale membrum, ex propria virture naturali ſita in illo membro; ita quod quodlibet membrum nutriatur ex cibo conuenienti, vt os nutriatur ex nutrimento oſſeo; caro ex carneo: immo antequam ſanguis fiat nutrimentum, multos alios gradus recipit, vt dicatur eſſe ſub forma glutini, aliquam vnionem habens ad membra; & poſtea fit ſub forma roris, quaſi quid ſubtile & penetratiuum, totum membrum ſubintrans, & ad ſingulas partes tranſmiſſus; non ad ſingulas ſecundum materiam, quia tales partes ſunt quodammodo infinite, ſed ad quamlibet partem ſecundum formam: ſicut dicimus, quod quælibet pars aucti, eſt aucta; & quælibet pars nutriti, eſt nutrita; quia ad quamlibet partem ſecũdum formam, tranſmittitur alimẽtum. Quid eſt autem caro, ſiue pars carnis ſecundum materiam, & quid ſecundum formam, in de generatione diffuſius diximus: Vltimo autem dicemus eſſe alimentum ſub forma cambij, quando non amplius ſtat alimentum ſub forma ſua, ſed virtute naturali membri, cambiat formam, & accipit formam membri, & fit de ſubſtantia mẽbri: quibus omnibus cõſideratis, non videtur ſanguis eſſe vltimus membrorum cibus, cum poſt ſanguinem, fiant in nutritione multi gradus. Nec valet quod videtur philoſophus dicere, quod membra nutriantur ſanguine, quia interius membra ſunt rubea: propter quod videtur eſſe quid rubeum, & quid ſanguineum nutrimentum ipſorum; quia vt quidam aiunt, ille carnes ſunt albæ etiam in animalibus habentibus ſanguinem, ſed videntur rubeæ propter ſanguinis admixtionem; qui ſi fortiter exprimatur ab eis, albæ remanent.

ſanguinis multi gradus.

Dicebatur autem in eodem tertio capitulo, quod fleuma (iuxta dictum Auerois in ſui Colliget) non eſt niſi ſanguis indigeſtus. contra quod obijcitur, quod fleuma eſt humor per ſe digeſtus, diſtinctus, ſicut colera, & melenconia; habilius tamen eſt [vt aiunt] quod ex fleumate fiat ſanguis, quàm ex colera; quia colera eſt quid valde accenſum, & per conſequens videtur quid valde coctum. facilius eſt enim [vt aiunt] quod crudum coquatur, quàm coctum incrudatur; ideo facilius eſt quod fleuma fiat ſanguis, quod eſt quaſi quid crudum, quàm quod colera, quaſi quid ſupercoctum: ſic etiam melenconia propter ſui terreſtreitatem, non eſt habilis vt conuertatur in ſanguinem: ipſum tamen

fleuma,

fleuma, cum ſint dare quatuor humores, iuxta quatuor eleméta, eſt diſtinctus humor ab alijs humor bus; non autem eſt, vt viden tur verba illius capituli ſonare, niſi humor diſtinctus, ſed ſanguis indigeſtus; vt quod digeſtio fiat in æpate & in corde, ſiue virtute cordis, vbi colera tanquam quid ſuperfluum, mittatur in ciſtã fellis; melenconia ad ſplenem; fleuma autem ſit ſanguis indigeſtus, ac ſi non eſſet diſtinctus humor à ſanguine *Fleuma.*

Dicebatur etiam tertio in eodem tertio capitulo, quod eadem eſt materia totius & partis: propter quod innuebatur ibi, quod ſanguis & non ſperma, qui eſt materia partium, eſt materia totius: vt ſicut partes corporis, ſiue membra in nutritione, nutriuntur ſanguine non ſpermate; ſic in generatione totus embrio, ſiue totum corpus embrionis, fit ex ſanguine. Sed contra eſſe videtur; quia diſpoſitio ſufficiens ad nutritionem (vt aliqui aiunt) non ſufficit ad generationem; quia materia generationis, oportet vt ſigilletur effigie omnium membrorum; propter quod oportet, quod illa materia ad vnitatem, & concordiam reducatur, vnde debent fieri omnia membra. Dicemus ergo, quod materia partium ſiue membrorum, eſt appropriata membris, & habet diſtinctionem ſecundum membra: vt os (prout dicebatur) nutr tur nutrimento oſſeo; caro carneo: materia au em totius, non h.bet hanc diſtinſtionem; ſed magis habet quandam concordiam, & vnitatem: falſum eſt ergo quod ibi dicitur quod eadem ſit materia totius embrionis in generatione; & membrorum ſiue partium corporis in nutritione.

Dicebatur autem iiij. cap. quod fęmina habet teſtes, venas, & atterias, à quibus poteſt aliquis h mor effluere, medius quaſi inter aquam & ſperma, inutile tamen ad generationem. Dicebatur etiam in v. quod ſi ſperma viri dicitur ſuperfluum alimẽti, non tamen eſt ſuperfluum ſimpliciter; quia & ſi eſt ſuperfluũ indiuiduo, non eſt tamen ſuperfluum ſpeciei: ſperma tam.n fœminæ, vel humor ille, qui eſt materia ſpermatis eius, quando iam eſt conuerſus in ſperma; eſt ſuperfluitas ſimpliciter; nec eſt quid neceſſarium ſpeciei, nec indiuiduo; quia per ſe & principaliter, nec facit admixtionem, nec ad generationem, licet quaſi à latere habeat quædam iuuamenta ad generationem; vt quia habet irrigare matricem; vel habet contemperare ſperma maris; vel habet facere, vt ſperma maris à matrice arcti s attrahatur. Sed contra eſt [vt quidam aiunt] quia Auicenna in j. de generatione anima-

lium vult, quod humiditas quædam aquosa decisa a sperma-
quæ per digestionem in vasis seminarijs est sequestratio puri ab
impuro, decurrit in matricem, & irrigat eam: quæ humiditas non
est sperma, sed superfluitas eius: potest ergo hoc colligi, quod
sicut in vita est quædam humiditas, quæ est superfluitas sperma-
tis; qui dicitur esse humor medius inter aquũ, & sperma; sic est in
fœmina huiusmodi humiditas: non ergo bene dicebatur, q sper-
ma fœminæ sit humor medius inter aquam, & sperma; sed huius-
modi humiditas etiam in fœmina, est talis humor medius. Nec
etiam vt videtur, bene dicebatur, quod sperma fœminæ habet ir-
rigare matricem; sed huiusmodi humor medius, habet irrigare,
siue sit emissus à mari, siue à fœmina.

Dicebatur autem quinto in sexto capitulo, quod mulier potest
impregnari sine emissione spermatis, sicut per totum illud capi-
tulum hoc probatur. propter quod & supra in capit. quarto di-
cebatur, quod testes in fœmina non deseruiant directè ad genera-
tionem, licèt in multis deseruiant; quod videtur inconueniens;
quia (vt dicunt) si mulieri alter testium deficiat, sterilis redditur,
quod non esset vt videtur, nisi sperma, eius de necessitate requi-
reretur ad generationem, & nisi testes eius directè ad generationẽ
facerent.

Dicebatur etiam sexto in nono capitulo, quod erat duplex spi-
ritus, organicus, & non organicus. Sed contra est, quia quilibet
spiritus debet dici otganicus, siue sit spiritus formans membra,
scilicèt spiritus, qui potest dici spiritus generatus, siue sit spiritus
formatus in membris, qui potest dici spiritus genitus. Nam spi-
ritus generatus formans membra [vt quidam aiunt] est organum
virtutis informatiuæ patris quantum ad generationem spiritus
autem formatus in membris, est organum geniti; quantum ad vi-
tæ conseruationem. Quilibet ergo talis spiritus, erit organicus,
cuius contrarium asserebatur.

Dicebatur etiam, & septimo in nono capitulo, quod ex fleu-
mate possunt nutriri membra; non autem ex melinconia, nec ex
colera, quod quidam falsum reputant, quod colera, & malenco-
nia, nullo modo nutriunt, cum quædam membra dicantur cole-
rica, quædam melinconica; in sanguine etiam minutorum, qui
decurrit per venas, vnde accipitur membrorum nutrimentum,
omnes quatuor humores apparent, quod non esset, nisi ex quat-
tuor humoribus nutrimentum acciperetur.

Dice-

Dicebatur quidem octauo in cap.decimo quarto,quod cum sit triplex spiritus in animali, naturalis scilicèt, qui est in epate; animalis, qui est in cerebro ; vitalis qui est in corde, non sic hoc esse intelligendum, quin omnia ista principaliter sint in corde: appropriatur tamen cordi spiritus vitalis magis, quam animalis, & naturalis,quia sensum,qui fit per spiritum animalem,agit cor per cerebrum; nutritionem, quæ fit per spiritum naturalem, agit cor per epar : sed pulsum, quod est opus vitæ, agit cor per venas pulsatiles, quæ sunt propriè cordi Sed contra non videtur, quod sit nisi vnus spiritus, qui vt est in corde, dicitur vitalis; vt accommodatus cerebro, dicitur animalis; vt accõmodatus epati, naturalis. Si ergo ex epate habet talis spiritus, quod dicatur naturalis, & ex cerebro quod animalis: non dicentur talia esse in corde. Immo quia vnum, & idem organum, non potest plura facere, quæ sint diuersarum complexionum, cor non dicetur habere spiritum vitalem, animalem, & naturalem, vt omnia opera attribuantur vni organo; scilicet cordi,sed attribuuntur diuersis organis. *De spiritibus.*

Dicebatur autem nono in cap. decimo quinto embrionem in primordio esse album quasi lac,vel quasi butirum, quod non negant aliqui sic esse, cum Auctores Medicinæ hoc dicant: sed volunt hoc dictum contradicere superiori dicto, videlicèt,quod primordialis materia fœtus, sit menstruum: sed vt aiunt, huiusmodi primordialis materia est sperma fœminæ; ideo (vt aiunt) embrio, siue fœtus, est quasi lac, & quasi album, & postea adueniẽte menstruo, de quo nutritur fœtus iam conceptus, incipiunt ibi apparere venæ sanguinis, & incipit fœtus iam rubeus apparere. Si ergo primordialis materia esset menstruum, etiam in ipso primordio appareret fœtus rubeus, quod est falsum.

Dicebatur in superiori in eodem decimo sexto capitolo quinque modos esse in fœtu, quia primo assimilatur lacti: secundo sãguini: tertio coagulationi: quarto fiunt membra principalia: quinto alia membra. Et quia corpori organizato infunditur anima, per quam corpus viuit: videtur ex hoc dicto,vt quidam aiũt, quod in primordio fœtus non viuat, quod falsum est [vt aiunt] quia tunc tota destrueretur Astronomia, quæ non solum accipit natiuitates; sed etiam conceptus; vnde & reges [vt quidam dicunt] consueuerunt signare horas suorum concubitum. Erat nihilominus, vt videtur vndecimo dictum non bene dictum in cap.decimo septimo,vbi dicebatur,quod potest fieri impregnatio

post impregnationē: quod videtur omnino mirabile, quod cum in fęmina impregnata, ita sit clausa matrix, secundum Auctores Medicinæ, quod nec acumen acus ipsam intrare posset.

Dicebatur etiam cap. xviij. quod ad generationem masculi, faciebat abundantia caloris, & remissio caloris ad generationem fęminæ. Sed contra; temperamentū caloris facit ad fortitudinem virtutis; fortitudo autem virtutis, ad generationem masculi. ergo nec magnitudo calorum; sed temperamentum caloris, facit ad generationem masculi.

Abūdantia caloris.

Dicebatur etiam xiij. in eodem cap. xviij. quod quantitas materiæ, facit ad generationem masculi. Sed contra; quanto plus est de materia, minus ducitur ab agente, & minus dominatur in ea agens; & per consequens minus generabitur masculus, cum semper agens intendat generare masculum.

Dicebatur etiam vltimo xiiij. dictum in eodem xviij. capitul. quod non videtur bene dictum, quod in corde refulget complexio masculina, fęminina, & media, secundū cuius complexionem formantur alia membra. cuius contrarium esse videtur, quia in aliquibus reperiuntur signum caliditatis cordis, & signum frigiditatis testium, quod non esset si secundum complexionem cordis, fieret complexio omnium aliorum membrorum. Hæ quidem sunt obiectiones, quæ possent inducere aliquem ad dubitandum de his, quæ posita sunt in capitulis ante dictis.

CAPVT XXIIII.

In quo ponuntur solutiones ad omnes obiectiones præhabitas.

DIcimus à sapientibus, facile esse nodum facere, sed difficile esse nondum factum dissoluere; quod non de omni nodo est intelligendum, quia aliquādo ipse nodus sui ipsius dissolutionem indicat: ne ergo videatur tanta esse difficultas in nodis præhabitis, & in omnibus obiectionibus prælibatis, quod non sit via ad dissoluendum, volumus obiectiones illas seriatim soluere eo modo quo positę sunt.

Quod

Quod ergo primo dicebatur, quod vltimum nutrimentum membrorum, vt est sanguis, quod quasi in eodem dicto, triplici difficultate arguebatur; tum quia quodlibet membrum nutritur nutrimento sibi appropriato; vt caro nutrimẽto carneo; os osseo: tum quia post sanguinem, est dare vlteriores gradus, videlicet, glutinum, rorem, & cambium: tum etiam tertio, quia expresse sanguine à carne, remanẽt carnes albę; propter quod nutrimentum carnis, non videtur esse quid rubeum. Dicemus ergo ad hæc omnia, quod totum potest vocari sanguis, donec sit facta translatio in membrum, siue sit glutinum, siue ros, vt hæc non nominent nisi sanguinem iam decoctum, & digestum quod est valde quid proximum translationi in membrum; quia vlterius non indiget, nisi quod fiat cambium, vt quod cambiet formam, & transubstantietur in membrum: propter hoc ergo non improbatur dictum Philosophi, quod vltimus cibus membrorum est sanguis; cum totus huiusmodi humor sic decoctus, sanguis vocari possit. Et quod dicitur, quod caro nutritur nutrimento carneo; os osseo, quantum ad formam arguendi, non probatur, quin sanguis sit nutrimentum omnium membrorum. sed solum arguitur, quod ex diuersitate membrorum agentium, diuersæ nutritiones fiunt ex sanguine: sicut si diceremus, quod aer est materia restaurationis ignis, & aquæ; quia aqua ingrossat aerem, & generat inde aquam, & ignis subtiliat aerem, & generat inde ignem: propter ergo diuersam actionem ignis, ex eodem aere generari potest ignis, & aqua. Sic propter diuersam actionem membrorum, ex eodem sanguine nutriuntur diuersa membra.

Aduertendũ tñ quod non propter hoc negamus, quin in ipso sanguine sint multæ diuersitates, & quin ipsum animal sit ciuitas optime ordinata: vt sicut in Ciuitate optime ordinata, cuilibet ciui ſm virtutẽ datur suam, sic & in aĩali sano, & bene cõplexionato, ad quodlibet membrũ transmittitur alimentũ ꝓportionatum cõplexioni suæ. Nã sicut in ipso aere damus diuersitatẽ; quia quædã pars est subtilior, & illa est magis cibus illius ignis; quædam grossior, & illa est magis conuertibilis in aquam: sic & in ipso sanguine diuersitates dare possumus, secundum quas sit diuersorum membrorum idoneum nutrimentum. Et si dicatur, quod sãguine expresso à carne, remanet caro alba, vt nutrimẽtum eius non sit sanguis, qui est quid rubeum, sed alius humor albus: dicemus, quod fortè color ille albus apparet in carne, post expressionẽ

sionẽ sanguinis, non est color carnis, sed apparebit ibi talis color propter subintrantem aerem: nam si ex corno nigro fiat rasura aliqua, illa rasura apparebit alba; sed cum partes corni nigri, sint nigrę, quia illa rasura apparet alba, causa est claritas aeris subintrantis: dato tamen, quod oporteret sanguinem aliqualiter dealbari, vt fieret nutrimentum carnis, non propter hoc haberetur, quod sanguis, non sit vltimum nutrimentum membrorum, nisi sicut dicitur menstruum esse nutrimentum pueri extra vterum, vt lac, quod est nutrimentum eius, non est nisi menstruum in mammillis dealbatũ; sic vltimus cibus membrorum, posset dici sanguis, etiam hac ypotesi stante; quia humor ille, qui ponitur esse tale nutrimentum, non est nisi sanguis decoctus à membris.

Diuersitates sanguinis.

Quod autem obijciebatur ij. falsum esse quod fleuma, non sit nisi sanguis indigestus, quia fleuma est humor per se distinctus ab alijs humoribus, debilis est obiectio; sic enim posset obici falsum esse, quod fęmina non sit nisi mas occasionatus, quia sexus fęmineus est sexus per se distinctus. Dicemus ergo quod semper agens intendit assimilare sibi passum, & volendo assimilare sibi passum, aliqua reicit tanquam superflua non valentia recipere formam agentis: in aliquibus autem inducit suam formam simpliciter, vt cum masculus generat masculum: in aliquibus inducit aliqualiter, vt cum masculus generat fęminam; ideo dicitur fęmina mas occasionatus, quia semen maris quod est in generatione agens, ex aliqua actione & ex aliquo impedimento, non valẽs generare masculum, generauit fęmina, vt possit dici fęmina, vel mas occasionatus, vel mas indigestus: vt quia non potuit materia tantam digestionẽ pati, quod fieret complexio masculina, facta fuit ibi cõplexio fęminina. sic & in proposito, epar quod est quasi sanguis coagulatus, vel virtute sua, vel virtute cordis, intẽdit generare sanguinẽ, vbi sunt aliqui humores quasi superfluitates, vt melenconia est quasi fex: colera quasi spuma: sanguis autem est id quod perfecte sibi assimilat: fleuma vero est quasi sanguis occasionatus, vt quia propter aliquã occasionem, vel aliquam resistentiã materię, non est ad tãtam digestionẽ deductus ille humor, quod sit sanguis, vnde vocatus est etiam sanguis indigestus. Propter hoc ergo non tollitur, quod non sit humor per se distinctus: nec etiam propter hoc haberur, quod non sit humor necessarius, sicut & sexus fęmineus necessarius est, non obstante, quod fœmina sit mas indigestus, vel mas occasionatus, non solum enim fleumate,

Mas occasionatus.

sed

ſed etiam colera, & melanconia vtitur natura ad aliquas vtilitates, & ad aliqua iuuamenta; tanta eſt enim ſagacitas eius, quod etiam ipſas ſuperfluitates ordinat ad aliqua iuuamenta.

Quod autem obijcebatur tertio non eſſe eandem materiam totius, & partium; nec eſſe eandem materiam nutritionis, & generationis, quia in nutritione eſt materia diſtincta iuxta diſtinctionem membrorum: in generatione vero eſt materia magis vnita, & magis concors: dicemus quod omnia membra continent diſtinctè: ſperma viri continet vnitiuæ; omnia enim membra, materiam debitam conuertunt in omnia membra, vt quodlibet mẽbrum conuertit in ſe alimẽtum ad ſe tranſmiſſum: quod ergo faciunt omnia membra diſtinctè, & quaſi diuiſim, hoc facit virtus ſpermatis vnitiuè: ſpiritus enim qui eſt in ſpermate, perforat vndique materiam ſibi obiectam, eam organizans, ac formans in ea omnia membra. Hanc ergo differentiam, in generatione, & nutritione ſecundum vnitionem, & diſtinctionem, magis reducemus in diuerſitatem agentium, quam in diuerſitatem materiæ: nec tamen propter hoc negare intendimus, quin poſſit eſſe aliqualis differentia inter materiam nutritionis, & generationis, ſecundum maioritatem, & minoritatem digeſtionis, vel alicuius alterius diuerſitatis. Nam cum dicimus eandem eſſe materiam nutrititionis, & generationis, partium ſcilicèt, & totius, non oportet idemptitatem iſtam eſſe punctualem, ſed ſufficit eam eſſe ſecundum aliquem gradum; vt hoc adaptemus ad propoſitum, dicemus forte, quod in muliere eſt triplex ſanguis. Vnus omnino impurus, qui determinato tempore eijcitur. Alius autem, qui poſt eiectionem eius, eſt aptus ſtillare in matricem, qui eſt quaſi purum, qui poteſt eſſe generationis materia. Tertius autem de quo nutriuntur membra fæminæ: cum ergo dicitur, quod eadem eſt materia generationis, & nutritionis; pro tanto veritatem habet, quia ſanguis eſt, qui attrahitur ad membra fæminea, & eſt materia nutrimenti; & ſanguis etiam qui ſtillat in matrice, eſt materia generationis.

triplex ſanguis.

Quod obijciebatur quarto, quod mulier etiam habet quandã humiditatem aquoſam, differentem à ſpermate, & illa humiditas eſt humor medius inter ſperma, & aquam, & quod illa eſt quę habet irrigare matricem, dicemus, quod licet fæmina poſſit habere, vel habeat quandam humiditatem magis indigeſtam, quã ſuum ſperma, illud tamẽ quod in eo eſt magis ſperma digeſtum,

non

non poteſt ad hoc deuenire, quod ſit vere ſperma, & quod ſit vt aliquid aquoſum; vt etiam tale ſperma poſſit dici humor medius inter aquam, & ſperma; & etiam poſſit propter ſui aquoſitatem, aliqualiter temperare ſperma maris, & irrigare matricem.

Quod autem obijciebatur v. falſum eſſe, quod mulier poſſit impregnari ſine emiſſione ſpermatis: & quod teſtes in fœmina directè non deſeruiant ad generationem, cum fœmina deficiens vno teſte, inueniatur eſſe ſterilis. dicemus ſicut & prius dicebamus, quod licet aptiori modo fiat generatio, cum tàm mas, quàm fœmina ſimul ſpermatizant, & raro fiat aliter; compertum eſt tamen, fœminam concipere ſine omni tali emiſſione. Quod ergo dicitur, quod mulier deficiens vno teſte eſt ſterilis, hoc eſt dictū, ſed non probatum. Nam certum eſt, teſtes in maſculo ad generationē requiri, & tamē compertū eſt maſculū cum vno teſte generare: immo quidam ruſtici, cum ex tauro, & vacca, volūt ſuſcipere fœtum maſculinum, ligant ſiniſtrum teſtem tauri, vt fiat emiſſio à dextro, qui magis facit ad generationem maſculi. dato tamē quod fœmina deficiens in vno teſte, fieret ſterilis, non tamen propter hoc oporteret, quod teſtes fœminei; directe ad generationem facerent, ſed ſufficeret, quod haberet aliqua iuuamenta ad generationem, vt putà, quod calefaceret partes illas, quibus per amotionem talium teſtium infrigidatis, redderetur fœmina ſterilis: ſicut & maſculus in iuuentute caſtratus, efficitur imberbis, quia forte ex abſentia teſtium, aliqua frigiditas inducitur in corpore, vnde fit clauſura pororum, vt non poſſint exire pili. Cum ergo dicimus, teſtes in fœmina directè ad generationem non facere, intelligimus, quod non faciant tanquam dantes ſperma, quod inducat formam; vel quod ſe exhibent tanquam materia; non autē intelligimus quin poſſint aliqua iuuamenta habere, calefaciendo ſcilicèt partes illas, ſine qua calefactione poſſit impediri conceptio.

teſtis in fœmina.

Quod autem obijcitur ſexto, quod non eſt dare ſpiritum non organicum, ſed omnis ſpiritus eſt organicus, quia omnis ſpiritus eſt organū alicuius; procedit obiectio ex imperfecta notitia illius capituli; non enim intelligimus eſſe dare ſpiritum non organicum, id eſt eſſe dare ſpiritum, qui non ſit organum alicuius: nec etiam intelligimus eſſe dare ſpiritum, qui non ſit corpus, quia nomine ſpiritus (vt hic de ſpiritu loquimur) intelligimus quoddam ſubtile corpus; ſed dicebamus, quod erat dare ſpiritum non organicum,

Spiritus non organicus.

ganicum, quia erat dare ſpiritum, qui non agebat in virtute alicuius ſpecialis organi, ſed eius erat formare omnia organa; & huiuſmodi eſt ſpiritus emiſſus cum ſpermate maris, qui cum ſit ſeparatus ab organis maris, format omnia organa fœtus in matrice fœminæ: vnde non reducemus huiuſmodi ſpiritū in aliquod organum, cui ſit coniunctum, in cuius virtute agit; niſi forte reduceremus ipſum ad organum, à quo eſt ſeparatus, vt ad cor patris, à quo recipit virtutem agendi.

Quod autem obijcebatur ſeptimo, quod colera, & melenconia poſſit eſſe nutrimentum membrorum, quia aliqua membra dicuntur eſſe colerica, aliqua melenconica; & etiam quia in minutione apparent omnes quattuor humores: dicemus quod mẽbra nutriuntur ſanguine, & in neceſſitate poſſunt nutriri fleumate; tamen non eſt inconueniens quin humores ſeipſos participẽt, vt non ſit ibi dare quid ſimpliciter purum: propter quod non eſt inconueniens, quod ſanguis in venis in aliqua ſui parte, ſit magis ſanguineus, in aliqua magis colericus, in aliqua magis melenconicus, ratione cuius in minutione poſſunt apparere tales diuerſitates; totus tamen poteſt dici ſanguis. Secundum hunc ergo modum, non eſt forte inconueniens, aliqua membra nutriri melenconia, aliqua, colera; non quia non nutriantur ſanguine, ſed nutriuntur declinante ad hunc humorem, vel ad illum.

Quod autem dicebatur 8. de triplici ſpiritu, quod non eſt in corde ſpiritus naturalis, & animalis, ſed vitalis: ille tamen idem ſpiritus, qui in corde eſt vitalis, in epate eſt naturalis, in cerebro animalis, quia non poſſunt diuerſa opera attribui eidem organo, dicemus quod cor eſt primum ſentiens, primum nutriens: primũ viuens, vt Aueroes probat in ſuo Colliget: ideo ſpiritus naturalis, animalis, & vitalis, principaliter dicuntur eſſe in corde: nec eſt inconueniens, ab eodem organo procedere diuerſa opera per diuerſas virtutes; in eodem enim corde, poſſunt omnes illę virtutes fundari: ſecundum quem modum, dubitat Ariſtotiles in 2. de anima, vtrum ſenſus tactus ſit vnus ſenſus, cum ſit ſenſus particularis, & per ſe diſcretiuus plurimarum contrarietatum, videlicet, calidi, & frigidi, humidi, & ſicci: nec eſt dubium ſecundum eundem ibidem, quin ſenſus tactus ſit vnus materialiter, & ſubiectiue; quia in eodem neruo tanquam in ſubiecto, poteſt fundari virtus actiua, per quam animal diſcernit contrarietatem calidi, & frigidi; & etiam virtus per quam diſcernit contrarietatẽ humidi, & ſicci.

ſenſus tactus.

Sed quicquid sit de diuersitate virtutis tactiuæ, vtrum scilicet sit realiter vna & eadem virtus tactiua, per quam discernitur hæc contrarietas, & illa: dubium tamen non debet esse, quin in eodē organo, plures virtutes realiter differentes fundari possint. In ipso ergo corde est virtus, per quam est virtus sentiens: virtus per quam est principaliter nutriens, & principaliter viuens; vt in eo principaliter sit spiritus animalis, naturalis, & vitalis. vtrum autem sit vnus, & idem spiritus animalis, naturalis, & vitalis, non refert prout ad propositum spectat; nam sufficit in corde esse illas tres virtutes, quarum organicum est aliquod corpus subtile, quod dicitur spiritus: quod corpus subtile, siue quod organum, vt deseruit virtuti sensitiuę cordis, dicitur animalis: vt deseruit nutritiuę, naturalis: & vt deseruit virtuti pulsatili eius, dicitur vitalis. veruntamen quia cor nutritionem, & maximè nutritionem inferiorum membrorum, exercet per epar, siue per cerebrum; pulsum autem per venas pulsatiles sibi appropriatas, ideo specialius spiritus pulsatilis, siue vitalis appropriatur cordi; animalis cerebro; naturalis epati: omnia tamen ista principaliter sunt in corde, vt potest esse perhabita manifestum.

Quod autem obijciebatur 9. quod materia primordialis embrionis, est sperma fœminæ, & non menstruum; quia si esset primordialis materia eius menstruum, esset fœtus in sui primordio rubeus, & non albus. dici potest, quod hæc obiectio soluta fuit in 22. capitulo, vbi dupliciter soluebatur, vel quia in ipsa matrice potest stillare menstruum quasi album, vt videntur sonare verba Auicennæ; vel quia modica est illa materia in principio, ideo sperma viri statim assimilat sibi eam dealbando ipsam: sed postquam incipit multiplicari huiusmodi materia, sperma viri non habet tàm dominium super eam, vt possit dealbare ipsam; propter quod incipiunt ibi apparere venæ rubeæ, & incipit illa materia rubea fieri. Nec valet si quis vellet obijcere, quod ex hoc sperma fœminæ, ratione albedinis sit magis materia idonea, quia albedinē, quam habet materia fœtus in primordio, non debet habere tanquam quid conuersum in sperma, vel tanquam existens sperma, quia hoc impediret ipsum, ne posset esse materia, vel ne posset esse passiuum, & quid conuertibile in membra; sed albedinem illam debet habere, vel à membris fœminæ, nisi decoquetur talis materia tanquam aliquid habile, quod conuertatur in membra; vel albedinem illam debet habere à spermate maris vincente ta-

lem

lem materiam, & disponente eam, vt sic suo tempore conuertatur in membra; talis enim materia non debet esse sperma, sed debet esse à spermate passa: non ergo debet esse alba, quia sit à viri spermate superata, & dealbata.

Quod autem obijciebatur decimo, quod anima infunditur corpori organizato, & quia per animam viuit corpus, ideo videtur ex hoc, quod in sui primordio, embrio non viuat, dicemus quod embrio in sui primordio, viuit vita plantæ, ita quod si pungeretur non sentiret: postea viuit vita animalis, secundum quam viuens si pungeretur, se retraheret; postea viuit vita hominis, quando infunditur sibi anima rationalis: à sui ergo primordio non viuit embrio vita hominis, vel vita animalis, sed viuit vita plantæ: quod autem addebatur de astronomia, quod Reges consueuerunt signare horas suorum concubituum, nihil ad propositum, siue enim embrio viuat, siue non, sufficit ad talem signationẽ, quod ibi sit coniunctio actiui, & passiui; quia omnia hic inferius agentia, agunt in virtute cæli; ideo in ipsa impregnatione, cum clauditur matrix post receptionem spermatis viri, incipit stillare menstruum purum, & coniugi attamen passiuo, secundum aliam & aliam dispositionem cæli, potest actiuum habere magis dominium super passiuum, & adducere meliorem complexionem in passo; & ad hoc valet signatio cęli, vt sic sit coniunctio maris, & fœminæ prout requirit debita complexio. secundum quem modum, non solum signatio cælorum, sed etiã signatio ventorum valere potest; quia flante borea, cæteris paribus, inducitur in fœtum melior complexio, quàm flante austro: licèt enim corpora supercęlestia, & quæcumque alia corpora, directè non possunt habere dominium super liberum arbitrium, & super voluntatem nostram, habent tamẽ dñium super ipsum corpus: quo aliter & aliter disposito, licet non necessitemur, multũ tamen inclinamur ad aliter, & aliter volendum; quia anima secundum philosophum, sequitur complexionem corporis.

Embrio.

Quod autem obijciebatur vndecimo, mirabile esse si potest fieri impregnatio, cum matrix ita claudatur, quod nec acumen acus ibi intrare posset, dici debet, quod non est inconueniens, matricem, quantum ad aliquid non claudi. Vel possumus dicere, quod nihil in naturalibus est sic stabile & vniforme, quod non recipiat aliquam diuersitatem: nam quamuis hoc sit commune quod matrix sic claudatur; in aliquibus tamen prægnantibus, aliquando

Nihil stabile.

aliqualiter aperitur, vt etiam tempore impregnationis, quantum ad aliquid menſtruent, licèt hoc vergat in periculum fœtus : propter quod ſicut in aliquibus prægnantibus, aliquando aliqualiter aperitur matrix ad aliquid emittendum, ſimiliter & multo magis aliquando, licet raro, apperitur ad aliquid recipiendū ; vt ſecundum hoc, poſſit fieri impregnatio, ſuper impregnationem.

Quod autem obijciebatur 12. quod ad generationem maſculi, non facit abundantia caloris, ſed temperantia. dicemus quod ad generationem animalis, concurrit triplex calor, videlicet cœleſtis, animalis, & elementalis : qui triplex calor, vtrum ſit alius, & alius; vel ſit vnus, & idem, quod ſecundum ſe dicitur elementaris, quia quicquid eſt calidum, eſt tale vt participat naturam ignis; dicitur tamen talis calor animalis, prout regulatur ab aīa, vel prout agit in virtute animæ: dicitur etiam cęleſtis, prout agit in virtute cœli, non referret prout ad propoſitum ſpectat.

Triplex calor.

Sufficiat enim ſcire, quod ad generationem animalis, concurrit calor omnibus iſtis modis : cum ergo dicitur, quod abundantia caloris facit ad generationem maſculi ; non intelligitur de calore, vt eſt elementaris, qui ſecundum ſe non habet niſi deſiccare & conſumere; ſed vt eſt animalis, & vt eſt regulatus ab anima: ideo conſueuit dici, quod abundātia caloris temperati, facit ad bonam complexionem, vt idem ſit calor temperatus, & calor, vt eſt organum animæ, & vt eſt ab anima regulatus ; ſecundū quem modum facit ad bonam digeſtionem, & ad bonitatem complexionis ; quia prout talis calor complexionem deprauat, vt eſt quid regulatum non ab anima, nec eſt organum animæ, ſed magis eſt quid contrarium.

Quod autem obijciebatur xiij. quod abundantia materiæ, non facit ad generationem maſculi, immo magis ad generationem contrariam; quia quanto ibi plus eſt de materia, tanto minus poteſt ibi prædominari agens. dicemus ; quod vt patet ex illo capitulo, non loquimur ibi de quantitate ſpermatis fœminæ, nec de quantitate menſtrui, ſed de quantitate ſpermatis maris, quod ſe habet vt agens, non vt materia. Nam ſi tale ſperma non eſſet ſufficiens in quantitate, eſſet remiſſum in virtute, vt minus haberent dominium ſupra paſſum, & per conſequens minus generaret maſculum.

Quod autem obijciebatur xiv. & vltimo, quod non ex corde tanquam ex primo fundamento, accipienda eſt complexio aliorum

rum membrorum, quia in aliquo apparent signa cordis calidi, in quo apparent signa testiũ frigidorũ; propter quod iudicaretur ille habere cor calidum, & testes frigidos: non igitur secundum complexionem cordis accipienda est complexio aliorum membrorum. dicemus ergo quod sperma maris (vt sepius replicauimus) ex menstruo fœminæ intendit generare masculum; quia semper agens intendit assimilare sibi passum: quod faciẽdo, primo format cor, iuxta cuius formationem, format alia membra; sicut iuxta fundamentum positum, oportet cętera regulari; propter quod si potest formare cor omnino secundum cõplexionem masculinam, generabitur simpliciter masculus habens masculinos mores, virilem vocem, complexionem calidam &c. huiusmodi: sed aliquando ratione loci generationis, vt quod fortè generatur fœtus in sinistra parte matricis, vel propter aliqua alia impedimenta, generabitur etiam ipsum cor omnino secundum complexionem masculinam; vt ex hoc sit defectus, & in alijs membris, vt sit genitus, vel habebit frigidos testes, vel aliqua alia huiusmodi. propter quod quantumcunque appareant signa cordis calidi, potest tamen alius defectus esse quantum ad complexionem masculi, vnde fętus aliquam fęminitatem contraxit, habens testes frigidos, vel aliqua alia proxima complexioni fęminæ.

Vel possumus dicere prout supra dicebatur, quod nihil in naturalibus hic inferius est tàm stabile, quod semper sit vniforme: propter quod sicut ratione impediméti materiæ, vel propter alia impedimenta, possunt fieri monstra in membris, vt quod fœtus non habeat membra ei correspondentia; ita propter huiusmodi impedimenta, possunt fieri monstra in complexionibus; vt quod complexioni priorum membrorum primo formatorum, non respondeat complexio aliorum membrorum, secundum quem modum, caliditati cordis, potest non respondere caliditas testium. Effectus enim rerum naturalium hic inferius existentium, quia fiunt ex causis possibilibus impediri, multoties non fiunt, vt fieri debent. Nihilominus tamen vere sunt regulæ datæ de talibus, nisi impediantur eorum causæ; quibus impeditis, impediuntur effectus. Et hæc ad obiecta facta sufficiant.

CA-

CAPVT XXV.

In quo est finis operis.

O mine Deus meus, mirabilia sunt opera tua; quę quanto magis cogitamus, magis cognoscimus ea in sapientia esse facta; nihil est enim in tuis operibus, in quo non reluceat magna subtilitas, & magna sapiẽtia incomparabiliter exuperans mentem nostram. Nam & illa, quæ obscura sunt sensui; si considerentur virtutes, & causæ ibi relucẽtes, sunt valde delectabilia rationi; vt sicut secundũ apostoli tui sententiam, prima cori xij. quæ putamus ignobilia membra esse corporis, his honorem abundantioré circundamus; sic etiam quæ ratione prædicti primi parentis legem membrorum introducentis, menti cõtraria sunt, obscena sensui magis multoties causis subtilibus sunt respersa, quæ propter huiusmodi obscenitatem non debent silentio pertransiri. Amore igitur veritatis declarandę, licet multis coacti præcibus, de formatione corporis humani tractatum edidimus; vbi licet videatur esse obscena materia sensui, tamen propter multas, & varias subtilitates ibi repertas, intellectui delectationem ingerunt; & admirantis animam, in tuam laudem, & reuerentiam manuducunt: in quo tractatu, ratione materiæ, quærimus indulgentiam de omissis: de declaratis autẽ, atque inuentis, tibi qui es auctor, & conditor omnium sit laus, honor, & gloria in sæcula sęculorum. Amen.

Excusatio auctoris.

Explicit tractatus de formatione humani corporis, Editus à Fratre Egidio Romano Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

Impressum Venetijs, per Iacobum Pentium de Leuco Anno. M. CCCCC. XXIII. xv. Decemb.

ARIMINI, Typis Io. Symbenij M. DC. XXVI.
Superiorum Permissu.

TABVLA

Tractatus de formatione humani corporis fundamentarij Doctoris Domini Egidij Rom. Columnæ, Archiepiscop: Bitur. S. R. E. Cardin. Ordinis Sancti Augustini.

CAP. I. *In quo ponuntur rationes medicorum, quod in sperm ite fœminæ, est virtus activa ad formationem fœtus.* fol. 1.

Cap. II. *Quod in sperm ite fœminæ, non sit virtus ad productionem fœtus, vt posuit Galenus.* fol. 4.

Cap. III. *Quod sperma fœminæ, non est conueniens generationi, nec vt agens, nec vt materia.* fol. 13.

Cap. IV. *In quo soluuntur rationes superius tactæ: quod sperma fœminæ sit conueniens generationi tanquam habens virtutem activam.* fol. 22.

Cap. V. *In quo soluuntur rationes, quod sperma fœminæ, se habeat vt materia.* fol. 31.

Cap. VI *Quod mulier impregnari potest sine emissione spermatis.* fol. 40.

Cap. VII. *Ad quid deseruiat sperma mulieris, & quomodo ad generationem sit vtile.* fol. 45.

Cap. VIII. *Ad quid deseruiat sperma viri in generatione, & quod solum se habet vt dans formam; non vt pars conceptus, neq; vt materia.* fol. 51.

Cap. IX. *Quod ad generationē animalium concurrit duplex spiritus, non organicus, & organicus: quorum vnus exit cum sperm ite maris, alius generatur ex menstruo fœminæ.* fol. 59.

Cap. X. *Quod spiritus emissus cum sperm ite, potest dici quid separatum, & ferè quid diuinū.* fol. 67.

Cap. XI. *In quo ostenditur, quomodo ex eadem materia, vt ex sanguine menstruo, possint fieri tot diuersitates, & quomodo in talibus est circulatio, sicut & in alijs naturalibus rebus.* fol. 76.

Cap. XII. *Quod fœmina in vtero matris tardius formatur, quàm masculus: sed extra vterum citiùs perficitur, & completur.* fol. 84.

Cap. XIII. *Quod puer, siue fœtus triplici pellicula, siuè triplici membrana inuoluitur: quarum vna propter custodiam, alia propter custodiendas superfluitates, & immunditias: tertia, vt per eam attrahat nutrimentum.* fol. 89.

Cap. XIV. *Quod in embrione primo formantur membra principalia, videlicèt, cor, epar, cerebrum: interq; omni-*

omnino primo formaꝫ cor. fol. 93.
Cap. XV. Quomodo formatur fœtus humanus in vtero: & de tempore formationis eius. fol. 100.
Cap. XVI. In quo agitur in quo tempore sit hominis partus: & quare tempus, & terminus pariendi, magis diuersificatur in homine, quàm in animalibus alijs. fol. 105.
Cap. XVII. In quo agitur, de causa pariendi plures filios, & de modo quomodo situatur puer in vtero matris fol. 110.
Cap. XVIII. In quo agitur, quæ causa sit masculinitatis, & quæ fœminei-tatis: & vnde est quod non semper agens assimilat sibi passum; & quod non semper generantur masculi. fol. 113.
Cap. XIX. In quo agitur quare fœtus aliquando similatur patri, aliquando matri, aliquando partim alteri; aliquando neutri. fol. 122.
Cap. XX. Vbi colliguntur, quæ obijci possent, quod sanguis menstruus non est propria materia fœtus. fol. 133.
Cap. XXI. In quo adducuntur nouæ rationes, quod sperma fœminæ non sit idonea materia fœtus. fol. 137.
Cap. XXII. Vbi soluuntur rationes superius collectæ, quod menstruum non sit propria materia fœtus. fol. 140.
Cap. XXIII. Vbi adducuntur quędam obiectiones contra quasdam particulas in diuersis capitulis superius contentas. fol. 151.
Cap. XXIV. In quo ponuntur solutiones ad omnes obiectiones prędictas. fol. 156.
Cap. XXV. In quo est finis operis. fol. 166.

FINIS TABVLÆ.

63832